IMPRIMATUR Libellus hic, cui Titulus *Dissertatio Historica*, &c.

Roger L'Estrange.

May 30. 1678.

Linc.
5° C. 205.

205

IMPRIMATUR Libellus hic, cui Titulus *Dissertatio Historica*, &c.

Roger L'Estrange.

May 30. 1678.

Linc.
5° C. 205.

205

C. JULIUS CÆSAR NOMISMATICUS,

SIVE

Dissertatio Historica;

Dionis Cassii Scriptoris Græci
Selectiora Commata

C. J. CÆSARIS

ORTUM } INTERITUM
DIGNITATES } ROGUM &
CONNUBIA } APOTHEOSIN

COMPLEXA

Nomismatum demonstratione illustrans.

Lib. T. Barlow Lincoln: Epi. ex dono Authoris.

J. SEOBALDI FABRICI
S. Theol. D. Academiæ Heidelbergensis
Professoris, Comitis Palatini.

LONDINI,
Typis *Benneti Griffin*, Impensis *Jonathanis Edwin*, ad Insigne *trium Rosarum*
propè *Ludgat.* 1678.

ILLUSTRISSIMO
ATQUE
EXCELLENTISSIMO DOMINO
HENEAGE FINCH
BARONI FINCH *DAVENTRIÆ*
BARONETO EQUITIQUE
AURATO,
MAGNO ANGLIÆ CANCELLARIO
SIGILLIQUE CUSTODI
AUGUSTISSIMI
CAROLI II.
MAGNÆ BRITANNIÆ
FRANCIÆ ET HIBERNIÆ
REGIS
CONSILIARIO
INTIMO.
D. D. C.

ILLVSTRISSIME DOMINE,

QUùm in Germaniâ degens Historicæ Professionis obirem munus, nil priùs faciendum mihi putavi, quàm ut Antiquitates Nomismatum fide vel illustratas vel demonstratas Auditoribus exhiberem.

Advertens utique priscis in tanto semper precio fuisse Aurum, Argentum, Æs flandum feriundum, ut non solum aptarent *Usibus promercalibus*, sed & *Symbolis* impressis, constitutionem Imperii, suorumque Heroum gesta posteritati traderent.

Non erat tempore functionis Academicæ cur sollicitus essem de priori & cottidiano Nummorum Commodo, verum crudelis Bellona, Musis infesta semper, atque insidians Monetæ, ità sub-

ſubduxit, ut reliquerit non niſi alterum eruditæ Antiquitatis delicioſum uſum.

Atque hactenus cogitare cœpi, quam caduca ſit prior illa Nummorum ſors, incerta vaga, malefidæ Bellonæ ſubdita. Unde alterum eorundem Uſum, qui ſine metallo ſtabilis permanet, atque adverſùs bellicas injurias librorum monumentis ſignatus perennat, nec mihi ulla fortunæ ſubiraſcentis malignitate ſurripiendus videbatur, curatiùs ſervavi. Nomiſmaticam non ampliùs ſecundùm metallicæ molis pondus, ſed *VIRTUTUM* priſcarum, Heroumque præſentatorum ſignacula æſtimans.

Quorum equidem intuitu *MONETAM* nuncupare liceat Antiquitatis Theſaurariam, reſtitutæ Vetuſtatis ſervatricem, Veritatis Promam Condam, Anteactorum Fidem, Æternitatis Auguſtæ Cuſtodem, Temporum memoriam, Hiſtoriarum reparatricem, Totius *Sapientiæ* civilis Oraculum, mihi verò quod præfiſcini dixerim Tabulam, quæ ad portum opportunum deducat Fortunæ ſalo hactenùs jactitatum.

Eſto eadem alijs remiſſio animi, oculorumque delicium: at nobis omnibus quid aliud poteſt eſſe, quàm *VIRTUTIS SPECULUM*? Quale illud Imperatoris Galbæ Nomiſma, Honorem Cornucopiæ, *Virtutemque* Columnæ gerulam Commendans; & Tiberii *Pietatem* exhibens facie apertâ, occipitio velato; & Fauſtinæ aram oſtendens cum ſupereminente flammulâ, qualem pectus noſtrum cœlo tranſmittit: atque Lucillæ fœminam ad aram conſidentem, aliamque eidem adſtantem, ut cultus divinus hinc vel rectus vel venerabundus, illinc perpetuus ſignificaretur. Quin & nummis inſculpſere priſci *Pietatem erga patriam*, uti apparet in illo M. Antonii, Figura muliebris ſtolata cum copiæ cornu, temone atque ciconiâ; & *aliam in ejuſdem familiæ conſortes*, quæ duas ciconias Carpophoro inſiſtentes geſtitat.

Quàm nativè autem expreſſére *Fidem* et *Concordiam* utramque dextris junctis denotantes in ejuſdem Antonii Monetâ; Itemque *Juſtitiam* in numo Galbæ, quô imago adparet dextrâ bilancem, ſiniſtrâ haſtam geſtans cum Epigraphâ *Æquitas*.

Nimirum

Nimirum quod in viis compitisque Hermæ sunt, id veteribus erant Nomismata, Fortitudinem, Concordiam, Liberalitatem, Constantiam, Humanitatem, Clementiam, salutem tandem Generis Humani quotidiano adspectui commendantia, ut documento essent vitæ juxta Probitatem dirigendæ ad Exemplar Principum quorum vultus præferebant.

Quòd si à Virtutis arce, quæ in cælum ductrix, Nomismatum symbolis exornatur, descendere lubeat, *NATURÆQUE* scrutari sinum, quæ solo surgentia vel gradientia, salumve aut aerem tranantia contineat, exactiùs contemplari quempiam non ignobilis incesset cupido, Theatrum Creaturarum eadem ostendent.

Cum verò propiùs accesserimus nosmetipsos, amplissimus nobis *MICROCOSMUS* patebit Nomismaticus, in quo ad retrusæ Vetustatis arcana, Ægyptia, Græca, Romana ducemur.

Monstrabuntur Heroes nomine Osiridis, Jovis, Mercurii, Martis aliorumque antiquitùs magnâ nominis famâ cluentes; & sub ipso Imaginum velo, remotissima

quæque

quæque primorum ſeculorum monumenta Interpretis induſtriâ demonſtrabuntur.

Hiſtoria priſca Monarcharum, Cœſarum Regumque omninò conſpicua reddetur; eorundem vultus, victoriæ, honores atque monumenta peculiaribus ſignis effigiata ceu præſentia coràm ſiſtentur.

Unde penitior rerum geſtarum notitia, per multa cæteroquin volumina tædioſiſſimè inquirenda, Nomiſmatum circulis concluditur, eorumque rotunditate completâ perficitur.

Non celebratius aliud eſt Magnatum animo ſtudium hôc ipſo, non amabilius, non dignius eorum Faſtigio. Certatim Reges, Principes, Nobiles, Eruditi quorumvis Regnorum Populorumque hiſce elegantiis oculos paſcunt, mentem exornant, memoriam ceu Pinacothecam veterum nummorum theſauro complent.

Sic priſcorum Gnoriſmata nummis indita cognoſcimus ſeri nepotes, eorumque veneramur Virtutes Honoreſque ſymbolicis figuris illuſtres, &, quoad fas eſt, æmulari contendimus.

Deam finxere olim Monetam, ejuſdem

dem superstitiosi Cultores; in quâ tamen si quid divini hoc solum est, quòd Heroibus, prædicante Plinio, *immortalitatem dat, in omnes terras eosdem mittit, ut præsentes esse ubique possint*, nobisque suavissimo delibutis gaudio contueri liceat Cæsareos Regalesque Vultus.

Quorum comptemplatus summâ voluptate perfundit, quotquot Regiæ potestati, vel Axiomati Ducali aut Comitivo, Generisve nobilitati historiarum notitiam prudentiamque jungunt civilem, quos in *Angliâ*, *Galliâ*, *Germaniâ*, famigeratissimos honorat seculum præsens; imò communis populorum omnium Consensus, Antiquariæ Sapientiæ precium multo precioſius auro suspicit & admiratur.

Delectat redivivæ Novitatis gratia, Vetustatis instruit Authoritas, ænigmatum evolutio ingenium expolit, Symbolorum adspectu Memoria firmatur, animus Veritate atque Eruditione rarâ & multivariâ repletur.

Atque utut cognoscendæ *Vetustatis primævæ* avidissimi fuerint Principes olim, supra communem sapientium mortaliumque

taliumque sortem evecti, atque inter eos Græcæ Romanæque Monarchiæ Conditores primi, (hodieque summates præcipui) quæcunque antiqui operis signa pari animositate conservarunt, quâ conquisivére, non tamen incurii fuerunt Imaginum, Effigierum, *Symbolorum sui temporis.*

Nimirum quæ nobis antiqua sunt Nomismata, Majoribus nostris talia non fuére.

Unde Nomismaticam dixerim *ANTIQUAM* aliam quæ in Heraclio finitur, aliam *RECENTIOREM* ad nostrum seculum porrectam. Quæ non minus ingeniosa fuerit quam anterior illa. Sicuti nec in *bifronte Jano*, facies priora respiciens tempora, venustior eâ quæ posteros aspicit.

Verum uti opportunè incido in aliam Jani, seculorum designatoris Effigiem; quadrifrons illa comparet cum hastâ purâ dexteram ornante, de quâ Georgius Codinus in Originibus Constantinopolitanis, τὸ ἄγαλμα τῦ Ἰάνυ ισοῦτι τετράμορφον διὰ τὰς τροπάς. *Simulacrum Jani quadriforme esse commemorant, propter quatuor Conversiones.*

Adeò ut universam sapientiam Nomismaticam non juxta quatuor Monarchiarum

chiarum vulgarem ſtrictioremque ſeriem, ſed evidentiorem atque ampliorem ejus naturam in totidem diſpeſcere poſſimus periodos. Quarum *Prima* contineat Monumenta ANTIQUISSIMA *Judaica*, *Phœnicia*, *Ægyptia*, *Indica*, *Græca*. PER-ANTIQUA ſequens, Romana cumprimis inde à Romulo ad Conſtantinum uſque Magnum. Tertia ANTIQUA, & illa quidem Conſtantinopolitana potiſſimum uſque ad *Carolum* Magnum. Quarta repræſentet Nomiſmata conſimiliaque monumenta, quæ per mille varios annorum decurſus nobis relicta ſunt. Atque ut poſtrema illa rerum converſio ſanè multiplex apparebit, ità potiſſimùm in eâ ſeſquiſeculi noſtri evolutio fortiſſimos Heroas *Britannis* *HENRICUM* OCTAVUM, *Germanis* *CAROLUM* QUINTUM, *Gallis* *FRANCISCUM* PRIMUM oſtendet, eorumque glorioſiſſimos Succeſſores, atque omnium vultus belloque & pace geſta iconibus Nomiſmaticis repræſentabit. Quas equidem ut publicitùs edam, lubido haud mediocris me inceſſit, Majorum noſtrorum æmula, ut Poſteritati etiam ipſæ conſecrentur.

Ea

Ea quæ *antiquo opere* & ſummo artificio facta fuerunt, adſerente *Tullio*, recens olim mirabatur ætas, imò *ſolâ vetuſtate* cenſebat. Neque deeſt hiſce noſtris temporibus magnarum actionum plurima materies, nec illam explicandi ſolers deeſſet ingenium.

Quin antiquitatum noſtrarum Cupitores erunt poſteri, non ſecùs atque *Alexander* ille magnus avidus fuit anterioris vetuſtatis, & nos hodieque in ejuſdem Nomiſmate deliciamur. *Julius* verò *Cæſar*, cujus Reliqua dilucidamus, antiqui operis ſigna animoſiſſimè comparavit, neque nos deſiſtimus conquirere Cæſareos vultus numis expreſſos. Prætera rebus vetuſtate & raritate notabilibus Prætoria excoluit *Auguſtus* Succeſſor, & nos Auguſtæa quævis quæ tùm nova fuerant ſuſpicimus, conjectantes & recentia noſtra honorem olim Antiquitatis conſequuntura.

Ut taceam ea, quæ ad deſtinationem æternitatis expreſſa fuere metallis, lapidibus tabuliſve, flammis fluminibuſque aut ipſâ vetuſtate ſuimet corruptrice conſumta fuiſſe, quibus nova ut ſubcedant neceſſium, ſi rerum geſtarum ſeriem poſteris commendatam volumus. Ab

Ab arte priſcorum condendis monumentis, nos ſeri eorundem nepotes, nec naturæ beneficio, nec ingenii ſolertiâ deſtituti nobis videmur, quibus præter ſtatuariæ, encauſticæ picturæque artificium, porrò cælandi, tabuliſque æneis rerum figuras nitidè incidendi, atque in millena ectypa diſpergendi facultas eſt.

Quâ equidem fit, ut ſub lineamentis ſubtilibus atque parvis magna & inſignia compareant; artificioſiùs longè ac olim, exiguâ ſculpturâ ingentium rerum opera includuntur, in quibus non ampliùs Ars cum Naturâ, ſed cum utraque Ingenium certet.

Dum in arcto devincta Naturæ Majeſtas, humanarumque rerum & actionum ampliſſima varietas conſpicua redditur, plura ſubtùs oſtendens quàm aſpectui ſubitaneo palàm promittat; plura in ſe continens quàm externa facies oſtendit.

Non ſecùs atque *Anglica* Roſa, cujus calathus opertus fragrantiam vireſque occultat quoad uſque patulus explicetur.

Jucundum utique ſpectaculum in numis antiquis Cæſarum videre vultus, & ſigna

quibus

quibus eorundem actiones notantur. Nec minus poſteris volupe fuerit noſtri ſæculi Reges eorumque geſta ſubtili effigiata ductu contueri, &, quoad fas eſt, recordatione ad virtutem inſtigante feliciter imitari.

Atque ut nihil derogatum velim Nomiſmatibus Lapidibuſque antiquis, aut quibuſlibet aliis Monumentis; ita non tàm degeneris quenquam exiſtimaverim animi, quin facile concipiat ſeram Priſcorum propaginem, æquè ac illos ipſos, Principum ſuorum geſta per imagines non fumoſas ſed lucidas, non exeſas ſed recentes atque integras, non moribundas ſed æternum ſpirantes Poſteritati tranſmittere poſſe.

Confecit conſumpſitque Vetuſtas plæraque veterum Nomiſmata, è quibus reſidua nobis eſt una vel ſeſquialtera Chilias, & hæc ipſa paucorum oculis objicitur, ſitum cariemque ſubinde paſſa, & tenebricoſæ obſcuritati ſuæ lucem ex antiquorum ſcriptis fœnerans. Nos de moderni Principum geſta, & ſi quæ alia memoriæ perennaturæ digna, æri inciſis & commentario illuſtratis ſpem concipimus perpetuitati

petuitatis, quam non ignis aboleat aut unda, non ferox miles, aut quicunque in nummos novos formas antiquas mutare ſolet, neque ipſa tandem aufferat vetuſtas. Colollos dejecit Fatum, Religio ſtatuas evertit Deorum, & quæ Dea dicebatur Moneta ſe ipſam numis variè transfuſis vultibuſque Auguſtorum abolitis conſumſit. Aurea Argentea Ærea flata fuſaque, paucis Reliquis evanuére. At Recens Nomiſmatica Millenis librorum exemplis quaquaverſum in orbe diſperſa, quam vetus æternitatem Veritati rerum dare nequiit, ſola conferet. Sola principum æternales vultus, actiones & fortunam ad poſteros tutò tranſmittet. Quòd ſi quis Sapientiæ in illâ emicantis fulgorem, cum antiquâ peritiâ numaris expreſſâ conferre velit; In illis equidem apparebunt dudum incineratorum vultus; nomina ipſorum legentur, & averſâ parte vel navis roſtrum, vel aquila, crocodilus, palma, fulcatus enſis, haſta pura conſpicietur. Quin & gentilis ſuperſtitio, divinitùs abolita, contemplatui ſeſe objiciet, repræſentato Lituo, ſeceſpitâ & Urceolo, ſimpulo & Aſpergillo, ſecuri victimariâ,

cui caput porcinum impôſtum, & arâ cornutâ, & Ancili atque Palladio.

Quæ quidem ſpectatorem delinire poſſunt, perfecto neutiquam implere gaudiò, nec imbuere Sapientiâ, quæ noſtræ ſit conveniens ætati. Inſeret ſeſe illa demùm animis contemplatione Principum ſeculi noſtri, rerumque ut alibi ita in *Britanniâ* geſtarum.

Quid ludicrum mage noſtro ævo quàm Seculares ludi? quid vulgatius portubus, arcubus, aquæductibus, quos pleroſque tempus edax rerum jam olim abſumſit? Majora illis omnibus *Anglia* ſola novorum Numiſmatum interventu poſteriorum conſpectui relinquet.

Columnas antiquarii oſtentant & Pantheum & equeſtrem Trajanum. Cedant hæc omnia Utriuſque *CAROLI AUGUSTI Britannici* ſtatuis equeſtribus, & Pyramidi latè graſſantis Ignis indicinæ ſublimi, & *Paulino* Templo, quod Religioſiſſimus *DN. HENRICUS* (in quo Dignitas & Virtus atque *Proſapiæ Comptonianæ* Nobiliſſimum Decus ita radiat, ut actiones ejus reddantur illuſtres) conſilio auxilioque ſuo ſingulari è cineribus ruderibuſque

deribuſque ceu novitùs reſurgens excitari procurat.

Quòd ſi Regum geſta nomiſmatibus repræſentare detur, plus lucis poſteritati accendemus, quàm nobis Majores illi noſtri in ſuis reliquére negotiis. Si ſpectanda Virtus & Magnanimitas atque Prudentia regendi populi; conſpicuam illam faciunt Regis HENRICI OCTAVI EJUSQUE FILII FILIARUMQUE AUGUSTARUM geſta. Si rerum divinarum humanarumque ſapientia in ſublimi faſtigio demonſtranda, Ejus Promus condus fuit Sereniſſimus JACOBUS: neque Imagine ullâ condignè poteſt exprimi DIVI CAROLI PRIMI erga Deum, Eccleſiam Britannicam, Regnumque Univerſum, Pietas, quæ inter ſeditioſorum acerbiſſimos motus Fortitudini ſic juncta fuit, ut Heroum nullus pariter illi conferendus ſeſe uſpiam offerat.

Videtur mihi, Poſteros verbis Salluſtii animi ſui ſenſa expreſſuros. *Cùm Majorum Imagines intuerentur, vehementiſſimè* ipſis *animum ad Virtutem accendi; Scilicet non ceram illam* aut cuprum, *neque figuram tantam vim habere, ſed memoriâ rerum geſtarum*

eam flammam egregiis viris in pectore crescere.

Nec est quòd quisquam illa ævi nostri signa nec flanda forsàn nec feriunda putet; siquidem metallo subtilior licet Papyrus, admirabili tamen illâ, quam per Glypticam ære signatam acquisivit, millies multiformi suâ multiplicatione adcóque perpetuitate multinummâ, quodvis metallum saxumve post se relinquet.

Neque dedignati sunt Spartani ferreos, neque alii coriaceos nummos in commercio, sufficiebat iis signum impressum; Nobis in propagandâ rerum gestarum notitiâ, non tàm materiæ, quæ suo in pretio remanet, quàm signatricis formæ, (quæ pretiosior Sapienti) vel delectatio sit accepta vel usus.

Quòd si priores nobis Antiquarii nomismatibus olim cusis fusisve tantas orbi literario faciunt delicias, id peragentes unicè ut quam nitidissimè chartis impressa compareant, eleganti oratione explicentur, Historicorum quorumvis Poetarumque dictis probentur, atque in eo ætatem suam consumunt; num propterea nos ceu iter difficile prorsùs emensi languescamus?

camus? Quin potiùs difficultate nullâ fracti plus ultra eruditionis nomiſmaticæ decurramus ſtadium!

Obferent ſe nobis in Cimeliis, poſteriorum temporum nummi ab eruditâ manu necdum tacti, non deſcripti, non illuſtrati.

Quibus addendi alii noviſſimi non equidem cuſi, verùm ingenii ſolertiâ delineati, ut qualicunque labore noſtro inflammentur ad exerendam ſimilem ſolertiam alii, quibus fortuna melior conceſſa.

Enimverò nobile immortalis Gloriæ deſiderium explebitur, ſi totius Britanniæ rara quævis atque magna, ſi columnæ, tabulæ, ſtatuæ, cippi, palatia, templa, minutis ſpectanda nummis poſteritati explicentur. Qui ſignatos inſimul Regum Reginarumque vultus, geſtarumque rerum ſeriem ſubtilibus effigiebus expreſſam noſtro ſe obtutui ſiſtant, ut licet Cœlo ſint illati Heroes illi, nobiſcum tamen eſſe videantur, poſſitque Regum venerator inſonare illud Exulis *Naſonis*, cui *Auguſti Cæſaris Liviæque* imagines abſentiæ præſtitere ſolatium.

Felices illi, qui non ſimulacra, ſed ipſos,
Quique Deùm coram corpora vera vident.
Quod quoniam nobis invidit inutile fatum,
Quos dedit ars vatis, Effigiemque colo.

Si cum antiquis Romanorum, ſingulis Britannicos conferamus indè à *Lucio* Rege & *Conſtantino* magno *Auguſtos*, in illis quod laudemus erit, in hiſce quod admiremur, ut qui Prudentiam gubernandi Pietati Chriſtianæ, (quâ Gentiles deſtituti erant,) adeoque Divina Humanis, Caleſtia terreſtribus tàm ſanctè & ſapienter junxerunt, ut & Deum & Regem in Britanniâ regnare ſit aſſeverandum. Quorum utrumq; civile pariter Bonum atque ſacrum tàm firmitèr ſibi connexum, ad ſtabiliendam diuturnitatem conſtans, ad fovendam Pacem felix, ad conſequendam aternitatem beatum utique Imperium reddit.

Quod ſi deſcendamus à Faſtigio Regio ad illuſtres Proſapias Britannicas, non minùs illæ Nobiles ſunt ſive Ducum aut Marchionum, vel Comitum, Vice-Comitum Baronumque, quàm fuére olim conſulares

ſulares quas tanti facimus. Nec Baronetorum, Equitum, Armigerorum familiæ Patritiis Romanis cedunt. Quas equidem non tabulæ, non ſaxa, interitui cottidiano obnoxia, ſed Nummi in Millena Ectypa diffuſi, atque adeò perennantes, poſteritati conſpiciendas præbebunt, ſplendoriſque Britannici radios tranſmittent.

Qui per omnium eruditorum ora volat *Tacitus*, *Druſi* deſcribens tumulum honorarium, *Funus*, inquit, *imaginum pompâ maximè illuſtre fuit, cùm Origo* Juliæ *gentis* Æneas — *cæteræque* Claudiorum *effigies longo ordine ſpectarentur.*

Quòd ſi Nobilium Magnæ Britanniæ Icones cum inſcriptionibus ſuis, atque Emblematibus fiant conſpicuæ, ex ipſo funere illuſtri quâdam pompâ redivivi comparebunt Majores, ut decori ſint atque imitamini ſuperſtitibus, ſeriſque poſteris.

Neque adeò neceſſum, ut in metallo adpareant vel Regales vel Nobiles vultus, aut actiones Virorum Illuſtrium, cùm illius craſſities atque immenſa moles facilitatem poſſidendi & quaquaverſum transferendi prorsùs excludat. Quanta verò animi voluptas commoditati exi-

miæ juncta, videre non vultus ſolum Magnatum, verùm in tenui papyro eorundem geſta ſub Emblematum perſpicuo velo contueri? Hieroglyphica illa, rerum hominumque ſimulacra ingeniosè oſtendit, ut oculis pateant, in memoriam recondantur, intellectum præ vaſtis librorum voluminibus illuſtrent, voluntatem ad Honeſtum informent.

Cùm mens noſtra in corpore ceu obſcuro ergaſtulo deliteſcat, ſenſuum ſubſidio ad rerum abſentium contemplationem excitatur, ut eidem ceu præſentes non ſecùs ac in optico tubo ſiſtantur, quorum adſpectu *intellectus* clariſſimè concipit præterita, & *Affectus* ad æmulationem *Virtutis* excitantur.

Quantopere autem Bonum tàm *rei civilis* quàm *literariæ* ſint promoturi, qui Nomiſmaticam novam ad Exemplum illius Veteris conſtituere atque ad Poſteros tranſmittere moliuntur, res ipſa loquitur. Fructuoſa utique eſt ac propè neceſſaria Hiſtoriophilis Eruditio Nomiſmatica, prout vel ipſis ſenſibus patet. Sed illa demum perfecta eſt, quæ ex Græcorum Latinorumque Commentariis lucem accipit; quam

quam & ipſa in eoſdem refundit, ut geminæ facis miniſterio Veritas cæteroquin obſcura, evidentiori claritate ſplendeat, pulcritudine venuſtiori delectet, certitudine firmiori inſtruat. Triginta ſunt anni, & quod excurrit, cùm Univerſam Hiſtoriam inde ab ortu mundi ad noſtra uſque tempora Hieroglyphicis Iconibus incredibili labore atque ſtudio, & immenſo ſumtu, fortunâ meâmet ſuperior, atque ab eâdem propemodum victus repræſentavi.

Poſtea Nomiſmatum, quæ cum meis Inventis ſimilitudinem in eorum averſis habent partibus, ad illuſtrandos Hiſtoricos uſum oſtendere volens, Cæſarum vitas è Scriptoribus Græcis per nummos exponere ſum aggreſſus in Illuſtri Athenæo Palatino: verùm Bellona Muſas noſtras exulare juſſit, Divinæ autem providentiæ ſingularis nutus in Britanniam deduxit, ubi procul à Bibliothecâ meâ conſtitutus, unam alteramque naufragii Tabulam adſpicio, qualis illa Diſſertatio de Cæſare. In quam dum oculos conjicio, iiſdem ſimul ſed madentibus obverſatur ſqualida *Germania*, qualis in *Nummo Domitiani*

mitiani apparet, ſeminuda ſuis inſidens ſcutis, cui à tergo eminet Tropæum, armis itidem propriis fineſtatum, cum effigie ſtaturoſi captivi & Epigraphâ ſatis inſolenti *Germania capta.*

Utinam verò pace factâ reſurgat amæniore facie, qualis in *nummo Hadriani* compáret, Matrona erecta, haſtam dextrâ, lævâque clypeum prætendens.

Taliter eam viſendi *Spes* omnis longè ſubmota mihi, ſiquidem illa, (ſi quà fidem *Nummo Claudii* Cæſaris habere debeam) juvenculæ formâ ſe conſpicuam exhibet, ſic non apta ſeni: & hilarem oſtentat vultum, qualis equidem meus eſſe nequit; amiculum induta oblongum, ut moras ſuas indigitet remotas; quin & laciniam cujuſvis fortunæ ventis perflatilem explicans; ſumniſque pedum articulis non ſolidè impreſſis ceu fugibunda greſſus accelerans; Adeò ut in ipsâ ſpe nil ſperandum tandem videatur. Niſi quòd Trifolium eadem oſtendit, quaſi Germanicâ ſpe ſublatâ dicat,

Triplicis ſpes altera Regni.

In quod equidem Numine Divino ductus, atque in ipſo quaquaversùm oculos

culos convertens, Gratioſam Illuſtriſſimæ Dignitatis Tuæ Imaginem conſpicor, in quâ ſublimis radiat *Virtus*, *Sapientia* inſignis, Lucidiſſimus inſuper *Famæ* ſplendor ſe diffundit. Tres hæ Gratiæ Te ad ſummum Faſtigium evexerunt ductum, atque in ſpeculâ ſublimi collocarunt.

Huic Obſervantiam meam conſecro Britannis Exteriſque declarandam, eamque magnam, in re utique impræſens parvâ, ſed prævia *Monimenti majoris*, quod Tempora præteriti præſentiſque ævi explicet, memoriam rerum conſervet, cui ceu Memnonis ſtatuæ cum formam Hieroglyphicam indidero, vultus Heroum eorumque actiones ſpirantes apparebunt & pateſcent.

Quòd verò animum Obſervantiæ plenum Illuſtri Dignitati Tuæ præ aliis conſignatum voluerim, ejuſque authoramentum, Cæſarem meum Nomiſmaticum offeram, cauſa non una eſt.

Summum Cancellarii Regii munus obis VIR ILLUSTRISSIME. *Nomophylax* clues, Diribitor Juſtitiæ publicæ, quæ regula eſt, normaque & menſura rerum publicarum

publicarum ; ſicuti Numus cujuſlibet privati Commercii : Juxta illud Peripateticorum Anteſignani. Καὶ διὰ τῦτο τὸ ὄνομα ἔχει νόμισμα, ὅτι ἒ φύσει ἀλλὰ νόμῳ ἐστί. *Nomen Nomiſma habet, quòd non Naturâ ſed Nomo, id eſt lege, valet.* Διὸ νόμισμα καλεῖται τῦτο γὰρ πάντα ποιεῖ σύμμετρα, μετρεῖται γὰρ πάντα νομίσματα. Quocirca vocatur Nomiſma, *Id enim omnia efficit ſymmetra, ſiquidem metitur omnia nummis.*

Prout verò mercedum diſtributor *legiſque Numus* ex indigentiâ hominum oriundus eſt, ſic moderandæ illi aut tollendæ *promercalis Numus* induſtriâ ſingulari eſt productus, de quo idem Stagirites, Δεῖ ἄρα ἑνί τινι πάντα μετρεῖσθαι —— τῦτο δ' ἐστὶ τῇ μὲν ἀληθείᾳ ἡ χρεία, ἣ πάντα συνέχει. Εἰ γὰρ μηδὲν δέοιντο, ἢ μὴ ὁμοίως, ἢ οὐκ ἴσαι ἀλλαγαὶ, ἢ οὐχ' ἡ αὐτὴ· οἷον δ' ἀνταλλαγμα τῆς χρείας τὸ Νόμισμα γέγονε κατ' συνθήκην. Oportet autem aliquam eſſe omnium menſuram. —— *Ea autem reverâ eſt indigentia quæ omnia continet ; ſi autem nullâ re indigeant vel non ſimiliter, aut non erit permutatio, aut non eadem. Nomiſma autem loco indigentiæ ſucceſſit ex pacto.*

Adeò NOMUS NUMUSque rerum hu-

humananarum menſores, ſibi cognati ſunt, ut ſicuti quotidianus uſus adhibito lapide lydio, per ſtateram nummum probat, ſic priſcorum ſoller ingenium *Æquitatem* monſtrat in Nummo Vitellii, ceu Virginem erectam, quæ bilancem tenet pondere æqualem : aut in illo Severi, tres figuras ſibi ſimiles, quarum ſingulæ libellas & cornu copiæ geſtitant, eádem prorsùs ratione, quâ tres Monetæ Auro Argento Æri fundendo flando ſunt deſignatæ.

Secunda perſuaſio, quæ demiſſos oculos ad ſublimem Dignitatem tuam erigere fecit, illa eſt, quòd auguſtiſſimi Regis Oculus, quicquid faſtigio Regali dignum eſt, ante alios perluſtras, ceu Regiæ Majeſtatis PROTOCANCELLARIUS.

Dignitas illa ut in excelſo faſtigio hodièque locata eſt, ſic & olim commemorante *Flavio Vopiſco* ſub Auguſtis Romanis plena in adminiſtrandis rebus publicis, & honoris, & authoritatis Cancellarii poteſtas perpetuò fuit. Quantô igitur Dicaſteriis Anglicanis omnibus major eſt AUGUSTUS SENATUS, qualem antiqui ΣΕΒΑΣΤΗΝ ΣΥΝΚΛΗΤΟΝ, quandoque ΙΕΡΑΝ cognominârunt, repræſentantes

tantes in Nummis ſuis Virum natu grandem, laureâ caput redimitum: tantò eminentior eſt Virtuti junctus Honor ille quem veneror.

Suborta interim cogitatio iſta, Tantum Virum, procul omni dubio, inter graviſſima Regni negotia quandoque patrias exoticaſque, & antiquas & modernas pervolvere hiſtorias: Siquidem in illis ceu regendi Ectypis, conſpicua fiunt regnorum initia quibus exurrexerunt, & media quibus incrementa ſumſerunt, Rationes inſuper, quibus ſtabilimen perfectionemque conſequuta ſunt, perſpicuè demonſtrant.

Neque credibile videtur, eum qui ſapientiâ omni, qualis regundo Regno ſcientiſſimum exornat, largiſſimè inſtructum, quique literas multas easque interiores & reconditas Judicii acrimoniæ jungit; Hiſtoricam per Icones cumprimis Nomiſmaticas & Hieroglyphicas in proſcenium Eruditi orbis productam averſari poſſe; & qui Senatûs Auguſti Decus ingens & Ornamentum, Virtutis Honoriſque ſpeculum dedignari.

Kalenus Templi quod teſte *Livio Marcellus*

cellus Honori ac Virtuti conſecraverat, curam olim habuit, indice Nomiſmate, in quo duo capita, comatum alterum lauroque redimitum Honoris, alterum Virtutis galeâ munitum cum Epigrapha HO. VIRT. KALENI. Talis Ædes CURIA eſt Illuſtriſſimi ProtoCancellarii curis deſtinata, qui Virtutis Honoriſque Fanum ingreſſus, toti Regno voluntatis Regiæ Civiliſque Sapientiæ oraculum, alter nobis KALENUS eſt, Eximius nimirum & ab ipsâ Virtute honoratus. Cujus præconia ingredi velle, nec mearum eſt virium nec inſtituti præſentis, tangenda ſaltem verbis queis Symmachus Auſonium ore rotundo adloquitur. *Benè ac Sapienter majores veſtri, ut ſunt alia ætatis ilius, Ædes Honori ac Virtuti gemellas junctim locarunt, commenti quod in Te videmus, ili eſſe præmia Honoris ubi ſunt merita Virtutis.*

Tandem ad dedicandos labores meos Illuſtriſſimæ Dignitati Tuæ permovet Ipſum NOBILLISSIMÆ FINCHIANÆ PROSAPIÆ MULTIVARIUM DECUS; ingentem illa præbebit materiem Hiſtoriæ Britannicæ per Nomiſmata deducen-

ducendæ? Tantæ igitur Familiæ præſes, & per ſe cæteroquin Clariſſimæ Domûs lucidiſſimum ſydus, ante minores ſtellas reſpiciendum videbatur. Atque illud propitium mihi fore auguror, ut *Hiſtoriam Nomiſmatibus illuſtratam, & inſignitam* Hieroglyphicis, in apertâ luce atque manifeſtâ collocare poſſim.

Felicem utique me arbitrabor, ſi Divini Numinis Indultu Patronum impetrem, qui adminicula præbeat idonea, perficiendo quod molior operi, laboris immenſi & peculiaris induſtriæ futuro. Siquidem abſque Magnatis Gratiâ & Munificentiâ Muſæ nihil præſtiterint, quod ætati præſenti poſteræque ſit profuturum. Vires illæ priſtinas reſument, quamprimùm Heros excitabitur, qui Nutritor ſit atque Præſtes, ſub quo illæ fortunarum ſuarum ſedem figant. Sic venerabundus concludo et peroro

Illuſtriſſimæ Dignitatis Tuæ

Obſequioſus Cultor

Londini Cal. Junii 1678. J. Scobaldus Fabricius *D*

DISSERTATIO HISTORICA ET NOMISMATICA

In *Dionis Cassii* Selectiora Commata

Quibus C. Julii Cæsaris *Ortus, Dignitates, Interitus atq; Apotheosis describitur.*

DION CASSIUS

HISTORIÆ ROMANÆ

LIBRO XLI.

Ἤ τί μὲν ἀπότε τοῦ Αἰνείου, καὶ ἀπὸ τοῦ Ἰούλου γέγονα; τί δὲ ἐστρατήγησα; τί ὑπάτευσα; ἀπὶ τὶ δὲ ὑμᾶς, τοὺς μὲν οἴκοθεν ἐξήγαγον, τοὺς δὲ ὕστερον προσκατέλεξα; ἀπὶ τί τοσοῦτον ἤδη χρόνον τὴν ἐξουσίαν τὴν ἀνθύπατον ἔχω λαβὼν, ἄνγε δουλεύσω τινὶ ὑμῶν, καὶ νικηθῶ τινὸς ὑμῶν ἐνταῦθα ἐν τῇ Ἰταλίᾳ πρὸς τὴν Ῥώμην, δι' ὧν καὶ Γάλατας ἐχειρώσασθε καὶ Βρεττανῶν ἐκρατήσατε, τί δείσας, καὶ τί φοβηθεὶς; μήμε τὶς ὑμῶν ἀποκτείνῃ; ἀλλ' εἰ μὲν πάντες ταῦτ' ἐφρονεῖτε, ἑκὼν ἂν ἀποθανεῖν εἱλόμην, ἢ τότε ἀξίωμα τῆς ἡγεμονίας καταλῦσαι, καὶ τὸ φρόνημα τὸ τῇ προστατείᾳ προσῆκον ἀπολέσαι.

Quid enim attinebat ab *Æneâ* & *Iulo* ortum esse?

Quid præturam gessisse? Quid consulatum?

Quid

Quid, vos partim domo mecum adduxisse, partim post Sacramento rogasse?

Quid tam longo jam tempore proconsularem Magistratum obtinuisse?

Si cui vestrûm servibo, succumbamque hóc in *Italiâ* prope *Romam*, alicui eorum cum quibus *Gallos* subegi, *Britannos*que vici? quo terrore? Cujus metu rei adductus id fecero?

Anne quis vestrûm me interficiat?

Atqui si una esset omnibus Sententia, mortem oppetere malim, quam Majestatem Imperii evertere, animique magnitudinem eam, quam hæc præstantia requirit, deperdere.

Sic commemorante *Dione* (a), tumultuantem Exercitum prope Placentiam, (ut eundem ad ſaniorem reduceret mentem, atque Imperium detrectantem compeſceret) affabatur *Cæſar*, rationes eâ conglomerans dexteritate atque Sapientiâ civili militarique, ut inſimul nobis Diſſertationis hujus Normam Formamque ſuggerat.

I. *ORIGINEM* indigitans ſuam inde ab *Æneâ* atque *Iulo* deductam.
II. *DIGNITATES* enumerans.
III. Mortis violentæ mentionem, ceu præſagiendo faciens, quæ metum non incuſſura ſit ullum, quò minùs Imperii magnitudinem ſit tuiturus.

Et nos *Ariadnæum* illud à *Dione Caſſio* productum *Cæſareæ* Orationis filum inpræſentiarum ſequemur.

(a) *Libro* XLI. p. 169 *Editionis Wechelianæ, quâ ipsâ paſſim in hâc Diatribâ utor.*

SECTIO

SECTIO PRIMA

De Origine

C. JULII CÆSARIS,

Quam deductam ipse voluit ab Æneâ & Iulo.

OBSERVATIO PRIMA

Ad verba Cæsaris è Dione. Ἀπὸ τοῦ Ἀινείου —

MAgno sibi honori duxit *Cæsar* inter *Æneadas* referri. Unde Ilium, quod non procul antiquâ illâ *Trojâ*, ab *Alexandro* Magno è fundamentis extructum variisque immunitatibus exornatum, à *Lysimacho* ampliatum, &, postquam Romanorum cum *Antiocho* bellis dirutum esset, *Syllæ* operâ restauratum fuerat, *Cæsar* variis privilegiis & omnimodâ libertate honoravit. Unde ab Ilienſibus nomisma illud cusum, in quo facies apparet *Cæsaris* laureata, cum Epigraphe ΙΟΥΛΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡΟΣ ΔΟΥΚΑΤΟΡΟΣ

Caii Julii Cæsaris Imperatoris Dictatoris, inde ex alterâ parte ΙΛΙΩΝ ΒΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ *Iliensium bis Neocororum*. Quæ vox communiter ædituos, hîc verò Curatores indigitat supremos, rerum sacrarum, panegyricorum, sacrificiorum, ludorum festalium, omnisque cultûs publici diebus celebrioribus exerceri soliti: qualiter populus Ephesius *Dianæ* suæ Neocorus dicitur (*a*). Conspicuus itidem in numo est *Æneas* patrem brachio, manu protensâ Palladium (Iconem nimirum galeatam togatamque cum telo & clypeo) gestans, præeunte *Iulo*, qui amiculo indutus, vittam portat manu versus patrem extensâ viam indagare visus. Sic ab *Æneâ* & à Venere genus traxit *Cæsar*, de quo *Cassius* (*b*) ὥστ' εἰ καίτις ἠμφισβήτει πρότερον, μήποτ' ἂν ἐκ τῆς Ἀφροδίτης τὴν Αἰνείαν γενέσθαι, νῦν δὲ πιστευσάτω. *Ut siquis ante in dubium vocaverit filiusne* Veneris *fuit* Æneas, *nunc certè credere cogatur*. Ἐκ γὰρ Αἰνείου καὶ Ἰούλου τοῦ Αἰνείου τὸ τῶν Ἰουλίων γένος παρεχθέντος τοῦ ὀνόματος, ἡγεῖτο εἶναι. Nam ab Æneâ & Iulo Æneæ filio Julia gens ut nomen (*c*) ita genus ducere creditur, teste Appiano A-

(a) Act. 19. (b) *lib.* 44. *p.* m. 259. (c) *Bellorum civil lib.* 2.

lex-

lexandrino. Sic numo alio, cui inſcriptum CÆSAR, Æneas apparet patrem Anchiſen & Palladium gerens, nimirum

—— *Sacra, & ſacra altera, Patrem*
Fert humeris, venerabile onus, Cythereïus
(*Heros.* (*d*)

OBSERV. 2.

Hinc Veneris tantus extitit Cultor, ut eidem mediâ nocte ſacris eſſet operans, teſte Appiano, quod ipſum noſter indigitat Author, (*e*) Τότε ὅλον τῆγε Ἀφροδίτῃ πᾶς ἀνέκειτο.

OBSERV. 3.

Omninò verò Venerem colebat καὶ τὸ νεὼν τὸ τῆς Ἀφροδίτης, ὡς καὶ Ἀρχηγέτιδος τοῦ γένους αὐτοῦ οὔσης, ποιήσας καθιέρωσεν, *Et Templum Veneris, quam ſui generis authorem ferebat, à ſe conditum conſecravit* (*f*) à quâ ſe etiam formæ quandam venuſtatem habere, perſuadere aliis nitebatur. Et Venerem armatam annulo inſculptam geſtabat, eáq; teſſerâ in rebus ſummis plerumq; utebatur. Nummis verò repræſentabat eam, brachiis mammáque unâ nudam, cætera veſtitam, victoriolam dextrâ gerentem & lævâ

(d) *Ovid. Metam. lib.* 13. (e) *Caſſius lib,* 44. *p. m.* 235.
(f) *Idem lib.* 43.

ſceptrum ad erectum humo clypeum pertingens: quandóque paulo aliter undequaq; nudulam, quæ caſſidem dextrâ extollit, ſiniſtrâ clypeum oblongè rotundum tenet, inter legionis aquilam haſtæ infixam conſtituta, atque aliam Imperii quæ ad ipſam reflexo capite adparet in arâ, cum Epigraphâ DICT. PERP. CÆSAR.

Quæ quidem Cæſareæ Veneris effigies non abſimilis eſt illi Cnidiæ, quam Lucianus deſcribit in Amoribus,

πᾶν δὲ τὸ κάλλος αὐτῆς ἀκάλυπτον, οὐδεμιᾶς ἐσθῆτος ἀμπεχούσης γεγύμνωται, πλὴν ὅσα τῇ ἑτέρᾳ χειρὶ τὴν αἰδῶ λεληθότως ἐπικρύπτειν.

Tota autem ejus pulcritudo detecta, nullâ veſte ipſam tegente conſpicitur, niſi quod oblitâ ſui, altera manu pubem obtegat. Sed & τοῖς θέλουσι τὴν θεὸν ἰδεῖν ἀκριβῶς καὶ κατὰ νώτου, καὶ ἵνα μηδὲν αὐτῆς ἀθαύμαστον ᾖ *iis qui volunt Deam accuratè inſpicere etiam à tergo, utque nihil ipſius cum admiratione non ſpectetur.* Talem Caſſidis clypeique gerulam inter aram aquilamque dedit viſendam populo per *C. Coſſutium Meridianum.*

OBSERV. 4.

Quanta verò ambitio iſta, Juliam Gentem ab Iulo Æneæ filio Veneris atque Anchiſis

chisis nepote oriundam comminisci! Cujus Fabulæ dulcitate illecti Poetæ Latini præter Maronem Petronius & Marilius cantabant.

—— *Omnis Regia cœli*
In partes deducta ruit, primumque Dione
Cæsaris *acta sui ducit.*
—— *Venerisque ab origine proles*
Julia descendit cælo, cælumque replevit. (g)

At verò longe aliter è Græcis Homerus, *Venerem* inducens quæ *Anchisi* prædicit illius posteros Trojam possessuros, non ex Asiâ in Italiam deducturos coloniam.

Σοὶ δ' ἔσται φίλος υἱὸς, ὃς ἐν τρώεσσιν ἀνάξει,
Καὶ παῖδες παίδεσσι διάμπαρες ἐκγεγαόνται.

Tibi autem erit charus Filius, qui Troas reget,
Et filiis filii omnino nascentur. (h)

Quin juxta Macrobium (*i*) ne quidem Veneris Deæ nomen innotuit, Regum tempore, secùs quam Marlianus sentit Author novus, Veneris cloacinæ simulacrum à Tatio Rege consecratum asserens. (*k*)

OBSERV. 5.

Quoniam verò tanta Cæsarem divinæ

(g) *Manilius lib.* 1. *Astron.* (h) Homerus *in hymno* Veneris. (i) *Macrobius lib.* 1. *Saturn. c.*12. (k) *Marlianus in topographiâ antiquæ Romæ lib.*3 *c.*11.

stipris

ſtirpis cupiditas inceſſit, non poterat alia inter Deas convenientior hâc ipsâ reperiri. Nam & ab illâ Cupidines in ſe tranſplantatas agnoſcere poterat orbis.

OBSERV. 6.

Calvitium Veneri calvæ in honorem Matronarum dedicatum refert Barthol. Marlianus (*l*), & Cæſari caput anteriore parte capillis nudatum erat.

Quod quidem calvitium ut ut iniquè ferebat, crineſque à cervice ad frontem revocare conabatur, milites tamen defectum illum naturæ clam palamve exprobrabant, ſic ſtomachabundus quidam; Facilius inquit, Cæſar calvum te non eſſe, quàm me in exercitu Romano quicquam egiſſe vel acturum timidiùs. (*m*); jocosè quandoque illudebant ut in triumpho lætanti populo accinentes.

Urbani ſervate Uxores;
Mœchum calvum adducimus.

OBSERV. 7.

Cæterùm gloriabatur publicitùs de iſta Origine ſuâ. In oratione quam habuit pro roſtris in funere Juliæ profatur, *Amitæ meæ Juliæ Maternum genus à Regibus*

(l) *Topogr. l. 2. c. 5.* (m) *Sarisburgenſis lib. 3.*

ortum,

ortum, paternum cum Diis immortalibus conjunctum eſt.

Quin deſcendens à Venere lineâ rectâ, jam tùm, cùm in vivis eſſet, Deaſter haberi voluit, ſiquidem Venus Deûm mater, & ille longo ex ordine nepos, aut non aliter ab eodem originem trahit, quàm è ſemine oriunda quævis juxta illud,

Juraque dat cælo, terræ, natalibus undis,
Perque ſuos imitus continet omne genus.
Illa Deos omnes (longum eſt numerare) creavit.
Illa Satis cauſas Arboribuſque dedit (n).

OBSERV. 8.

Veneris propterea cultor extitit ſuperſtitioſiſſimus, nam & illi omnes ſuos triumphos, actionumque felices exitus adſcribebat, quin & Amores ſuos. Unde Venus ipſi vel in delitiis vel veneratione fuit, & *Genitrix* & *Victrix* ſive Nicephora dicta. Huic acceptam tulit Victoriam Pharſalicam, ſtatuamque ſuam appoſuit: eidem Populus Rom. Monumenta erexit Dictatoris ſui gratiam aucupans. Quale Gruterus refert.

Divo Julio Lib. Julia Ebora ob illius in-

(n) *Ovidius lib. 4 Faſtorum.*

mun. & mun. liberalitate ex D. DD. quoius dedicatione Veneri Genetrici ceſtum matronæ demum tulerunt. Veneri Genetrici D — Julii in memoriam gent. Juliæ ſtatuam cum — Junius Urbius Atticus Flam. Divi Juli D. S. P. D.

Hinc Nomiſmata gentis *Juliæ* plurima Deam oſtentant. Videtur illa jam curru cupidinum vecta, jam ejuſdem caput, & *Æneas* humeris *Anchiſen*, dextrâ Palladium geſtans. Quin & Romani populi Genius ſceptrum tenens majeſtatis futuræ ſymbolum; *Venerem*que ad *Anchiſen* propè montem Idam jacentem deducens, ut ex illâ *Iulum Æneadaſ*que gignat, ex alterâ parte *Veneris* effigiata facies comparet. Numi alii Deæ Cypreæ caput cum copiæ cornu uno vel gemino obtinent, (o) ut felicitas Imperio Romano per illam obveniens denotetur.

Quin & capiti *Cæſaris*, *aſtrum Veneris* appoſitum, ipsâ hac in aversâ repræſentatâ, quæ Victoriam manu geſtat alatam, cum ſerto, adſcriptis verbis L. Sepulius Macer. Id quod factum in memoriam *Cæſaris* Servi-

(o) F. *Urſinus* p. 124. *Numiſm.* 5, 6, 7, 8.

us

us commemorat. Nimirum *Æneas* à Troiâ profectus Laurentum usque per diem, *Veneris* stellam semper vidit, unde cognovit terras sibi fatales. Erat scilicet *Dux* Venus *ipsa viæ.*

OBSERV. 9.

Templum idem *Veneri* extruxit adserente *Dione* nostro (q). Ταύτην δὲ οὖν (ἀγορὰν) καὶ τὸν νεὼν τὸν τῆς Ἀφροδίτης, ὡς καὶ ἀρχηγέτιδος τοῦ γένους αὐτοῦ ὕστερος ποίησας, καθιέρωσεν εὐθὺς τότε. *Forum verò & Templum* Veneris, *quam sui generis authorem ferebat, à se condita* Cæsar *statim tunc consecravit.*

OBSERV. 10.

Nec sine exemplo coluit amabilem sibi Deam, siquidem & Assyriorum & Atheniensium atque Lacedæmoniorum Dea fuit Aphrodite, Astarte, Uranie dicta. Quin antiquissimi Sabæi, & inter ipsos *Abrahamus*, hujus aliarumque stellarum, Solis item & Lunæ Cultores extitere. Ita enim *Maimonides* (r). *Certum est* Abrahamum *nostrum p. m. educatum esse in religione Zabæorum eorumque sacris. Fuit autem eorum religio nullum esse Deum præ-*

(q) *Lib.* 43. *p. m.* 225. (r) *Maimonides lib.* 3. *More Hannev. c.* 29.

ter

ter ſtellas— *Ita enim dicunt omnes ſeptem ſtellas Deos eſſe, ſed duo luminaria maxima eſſe.* Hinc Saraceni veteres priuſquam cultus Idolatricos acceptato Mahometiſmo rejicerent; dum ſe *Abrahami* per *Hagarem* venditarunt progeniem, Patriarchæ ſuo putatitio ſtellarum attribuére cultum, interque alias ſtellam etiam *Veneris* venerati ſunt: quam dixere Cubara, cujus vocis radix propriè notat idem quod exceſſit; magni fecit, item menſtrua excrevit & ſperma profudit (*s*).

Ipſi verò ſacrifici huic ſuæ Deæ immolabant, Juvencos cumprimis, quos vel ex manubiis hoſtium, vel prædâ ceperant. In majorem venerationem ea perficientes ut quibus genetricem delectari credebant.

OBSERV. 11.

Sed redeamus ad *Cæſarem*, qui ſacra itidem fecit *Veneri* Cœleſti, quæ in monumentis Auguſtæ nomen obtinet atque invictæ.

Ne verò ſola quandoque eſſet Diva *Cypri*, Sacerdotes ei ſuperſtitio illius ævi adjunxit, prout monumentum Siculum e-

(*s*) *Golius Lexico p.* 1994. *Kircher. Panth. p.* 347.

docet

docet. Διόδοτος Τιτιέλου Ἀππαιραῖος τὰν ἀδελφὰν αὐτοῦ τὰν Μίνυραν Ἀρτέμονος ἱερατεῦσαν Ἀφροδίται Οὐρανίαι. *Diodoti Titieli Filius Appeiræus Sororem suam Minyram Artemonis filiam Sacerdotem Veneris Cœlestis.* In ludis verò Circensibus quando in honorem *Cæsaris* fiebant, ejus statua pomposè ad templum *Veneris* portabatur, supra caput *Uraniæ* astro conspicuo.

OBSERV. 12.

In verba Dionis. Ἀπὸ τοῦ Ἰούλου—

Julius Cæsarum primus, Monarchiæ Romanæ Conditor, nomen illud ad se traductum voluit ab *Iulo*, sive *Ilo*, qui & *Ascanius* nuncupatus, *Æneæ* filio, *Veneris* nepote. Sic *Parthenius Maro* canit, (t)

Julius à magno deductum nomen Iulo.

Ἴουλος verò is dictus, sive quòd cum magnis crinibus utero sit parentis effusus, sive quòd tempore victoriæ contra *Mezentium* partæ, lanugo barbæ ipsi nascebatur, de quo *Hesychius* & Servius. Atque huc facit *Dionis Cassii Epiphonema* (u). Τούτου δὲ οὐδ' ἂν εἷς ἀπαξιώσειε θεοὺς τοὺς προγόνους γεγονέναι. *Cæsarem verò nemo indignum divinâ origine judicaverit.*

(t) *Æneidos l. 4.* (u) *Dion lib. 44. p. m. 259.*

O B-

OBSERV. 13.

Idem *Julius* dictus CÆSAR à Cæſarie, ſive capillitio in ſpiras torto, quo natura quandoque aut ars mulieres exornat : vel ab ÆSAR quod Hetruſcis Deus eſt, aut ab Αἶσα Fatorum numine. Vox verò *Cæſar*, initiali litera centum juxta Latinos, finali juxta Græcos totidem denotat. Unde oſtentum *Auguſti* mortem prænuncians habebatur, cùm fulminis tactu prima deleretur litera, permanente ÆSAR quod Deum notabat, unde hariolabantur poſt centum dies *Auguſtum* fore Deum (*x*). Id quod eodem eventu explicari poterat Αἶσα tollit C. relinquens ſ. Similia hiſce mortis præſagia in nominibus notat *Dion* (*y*). Cùm fulmen tres priores literas Severi tolleret, ſtatuæ inciſas, nonniſi tres annos remanſiſſe illum in vivis commemoratur. Et *Eginardus* cum *Caroli* Germanorum Imperatoris primi nomen adjectum, *Princeps* Aquisgrani in ſacello eſſet eraſum, mox inſecutum, ut vitam cum morte, Dignitates Fortunæ beneficiò, Virtutis obtentas meritò, cum majori gloria commutaret.

(x) *Suetonius in Auguſto*. 97. (y) *Dion. l.* 76.

OB-

OSBERV. 14.

Et hæc quidem de *Cæsaris* Ortu dicta sufficiant, nisi quód geminum diversæ fortunæ omen, Lauream & Sagittarium despicere non abs re fuerit. Recens nati felicitatem *in terrâ* designabat laurea flagrans. De quâ *Sidonius Appollinaris* (z).

Julius *in lucem venit dum laurea flagrat.*

Quæ incensa crepansque prosperi eventûs signum dedisse putabatur. Juxtá illud *Tibullii* (a).

Ut succensa sacris crepitet benè laurea flammis,
Omine quo felix & sacer annus eat.
At laurus bona signa dedit, gaudete coloni.
Distendit spicis horrea plena Ceres.

In cujus præsagii memoriam laureâ Eum coronâ usum existimem, nec impedit alia ejusdem gestandi causa, ut calvitio suo tegmen esset, de quo noster *Cassius*, Τῷ τέφάνῳ τῷ δαφνίνῳ ἀεὶ καὶ πανταχοῦ ὁμοίως ἐκοσμεῖτο, καὶ πρόφασιν μὲν ἐποιεῖτο τοῦτο, ὅτι ἀναφαλαντίας ἦν. *Semper & ubique laureâ coronâ usus est, cujus quidem hâc præscriptione utebatur, quia calvaster erat.* Unde, *Suetonio*

(z) *Sidonius in Paneg. Anthemii.* (a) *Tibullus l. 2 Eleg. 5.*

confirmante, lætabatur decreto ſibi à Senatu honore perpetuo geſtandi laurum, & quod ejus imaginem inuſitato priùs more S. P. Q. R. Ἐς τὰ νομίσματα ἐναχάραξαν, *Numiſmatibus inſculpſerunt* (b).

OBSERV. 15.

Aſt felicitatem illam ſublatam iri, (dum laurus humi flagrat) naſcente *Cæſare*, conſpicuus *in cælo* Sagittarius prænotaſſe viſus eſt. De quo Poeta non Deponta-nus.

Jam primo quotiès Cœlo fulgentia *Chiron*
Ora effert, quicunq; novas in luminis auras
Prodierit, quantum ille maris? quot flumina obibit,
Quæ terræ errantem excipient? quos viderit hoſtes?
Et tamen inſperata etiam patrimonia adibit,
Publicaq; inſpectâ geret ipſe negotia curâ,
Ingenio bonus, atq; artes inſtructus honeſtas.
Errores etiam varios, hoſtemq; potentem
Indicat, inſidiaſq; & multa pericula, cœlo
Si medio aſpiciat: patrimonia perdet, & idem

(b) Dion *lib.* 44.

Reſti-

Reſtituens aliena dabit, ſtudioq; fideli
Jungit amicitias, conceptaq; fœdera ſervat,
Exercens habile ingenium & mentem aptat agendo.
Sæva tamen pueri tela, immanemq; pharetram
Irati ciet, atq; incenſos ventilat ignes,
Perq; oculos placidum demittit ad oſſa venenum,
Incolet externas urbes, peregrinaq; tecta
Jactatus fato, tandem patriamq; ſuoſq;
Inviſet Divûm Ipſe memor. Sed pectora curæ
Exagitant, & ſæpè dolor per corda recurſat.
Sentiet iratos hoſtes, mortemq; cruentam.

Hæc Arcitenentis tela ſentit *Cæſar*, ſive illa ſic ex aſtris deſtinata fuerunt, ſive ab ipſomet ſibi per imprudentiam conſilii omnis neglectricem, atque inſoleſcentem ſui fiduciam illata.

SECTIO SECUNDA

CONTINENS

C. JULII CÆSARIS,

Vitam, Dignitates, Connubia.

OBSERV. 16.

Ad Cæsaris militare alloquium, τὶ δὲ ἐστρατήγησα ——

ANtonius corpore *Cæsaris* in forum illato, propositoque sicut erat in cæde sanguinolentum, vulneribusque existentibus, referente nostro Cassio (c) orationem elegantem sanè splendidamque habuit, in quâ inter alia VITAM DIGNITATESQUE ejus complexus est iis omnino, verbis quibus ipsa *Julii* allocutio ad tumultuantes milites illustratur. Διὰ τοῦτο ἀρχιερεὺς μὲν πρὸς τοὺς θεοὺς, ὕπατος δὲ πρὸς ἡμᾶς, αὐτοκράτωρ δὲ πρὸς τοὺς στρατιώτας, δικτάτωρ δὲ πρὸς τοὺς πολεμίους ἀπεδείχθη —— Ἀλλ' οὗτος ὁ πατὴρ, οὗτος ὁ

(c) *Hist.* Rom, *lib.* 44.

ἀρχιερεὺς,

ἀρχιερεὺς, ὁ ἄσυλος, ὁ ἥρως, ὁ θεὸς, τέθνηκεν. *Eâ de causâ Pontifex Maximus Deorum respectu; nostrùm Consul; militum Imperator; hostium dictator est creatus —— Cæterum is Pater, is Pontifex Maximus, is Sacrosanctus, is Deus, mortem obiit.*

OBSERV. 17.

Equidem de Honoribus *Cæsaris Dion* plurima passim refert, cumprimis Libro XLIV. *p.* 242. & XLI. *p.* 169. verbis Dissertationi præmissis.

OBSERV. 18.

Dictaturæ annuæ mentionem idem facit Historicus Græcus, lib. XLII. *p.* 195. καὶ ὅτε Καῖσαρ τὴν Δικτατωρίαν παραχρῆμα ὑπέστη. At prorogata postmodum illa Dignitas in decennium. Δικτάτωρα ἐς δέκα ἐφεξῆς εἵλοντο. *Dictatorem in decennium deinceps constituerunt.* lib. XLIII. *p.* 220. Tandem perpetuus factus est. Δικτάτωρ διὰ βίου μετὰ ταῦτα ἀποδειχθεὶς ἠνέσχετο. *Dictatorem se perpetuum creatum passus est.* lib. XLIV. p. 244.

OBSERV. 19.

Consulatum, ut qui Bibulo non nisi nominis umbram reliquerat, solus gessit. Ὅθεν περ χαριεντιζόμενοι τινὲς τὸ μὲν τοῦ Βιβούλου ὄνομα παντάπασιν ἀπεσιώπων, Γαΐοντε Καίσαρα καὶ Ἰούλιον

Καίσαρα ὑπατεύειν λέγοντες. *Unde faceti quidam Bibuli nomen omninò reticuerunt*, Cajum Cæsarem & Julium Cæsarem Consules *dicentes.* (*d*)

OBSERV. 20.

Inter Dignitates alias quibus cumulabatur, *Pontificatus* fuit Maximus, de quo Historicus noster. (*e*) ὁ γὰρ Καῖσαρ τοῦ Μετέλλου τοῦ εὐσεβοῦς τελευτήσαντος, τῆς τε Ἱεροσύνης αὐτοῦ καὶ τοι νέος καὶ μηδέπω ἐστρατηγηκὰς ἐπιθύμησε. —— καὶ Ἀρχιερεὺς τῶν Ποντιφίκων, καίπερ ἄλλων τε τῆς τιμῆς πολλῶν, καὶ τοῦ Κατούλου μόλιστα ἀντιποιουμένων ἀπεδείχθη *Metello enim pio defuncto*, Cæsar *ejus Pontificatum petebat*, Juvenis *adhuc & qui nondum Præturam gesserat* —— *Pontifexque Maximus factus est, multis quidem viris præclaris, imprimisque Catulo, competitoribus.* De quo equidem numus extat, quo imago ejus lauro cincta, supereminentibus fronti baccis, & post cervicem adparente Pontificis signo, cum Epigraphâ CÆSAR AUGUR, PONT. MAX.

OBSERV. 21.

Sic Pontifex Maximus simul & *Augur* atque Imperator fuit, id quod è Numismate græco patet, quo cernitur expressa

(*d*) *Dion lib.* 38. *p.* 63. (*e*) *lib.* 37. *p.* 46.

tri-

tripus, cui ſupereminent aſtra duo Apollinis ſimulatque *Veneris*, cum inſcriptione ΚΑΙΣΑΡ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΑΡΧΙΕΡ. ΜΕΓ. ΟΙΩΝΙΣΤΗΣ. *Cæſar Imperator, Pontifex Maximus, Augur.* Nimirum & *Venere Uraniâ*, & *Phœbo*, (quod nominis etiam ſplendidum notat, itemque vaticinum, unde & *Augur Pythius* dicebatur) ſe in *Augurio* adjutum ſignificabat. Siquidem ceu vaticinii Deus colebatur *Apollo.*(*f*)

Ὑμνέω Παιᾶνα μέγαν, Διὸν Ἀπόλλωνα
φοῖβον, φοιβάζοντα, φιλοσίφαρον, ἡμερογηθῆ,
χρησμαγόρην.

Cano Pæana magnum, Deum Apollinem, Phœbum, vaticinantem, corollis delectantem, hilarem.
Oracula dicentem.

Idem præſes quatuor artium habebatur Μυσικῆς, τοξικῆς, Ἰατρικῆς καὶ Μαντικῆς. (*g*)

OBSERV. 22.

Sic in *Cæſare* Dignitas eminuit Pontificia, quod Numiſma demonſtrat, cujus una facies Pontificium tutulum, & vaſa ſacrificiis adhibita, Elephantum altera qui Serpentem calcat exhibet, ſubſcripto CÆSAR.

(*f*) *Anthologus lib.* 1. *Epigr.* c. 38. (*g*) *Didymus* 1. *Iliados.*

Quod posterius variè explicari potest. Ut Elephas *Aphricano* sermone *Cæsarem* denotans, in imagine præsentet id quod literis ostensum: verùm nimis dilutum illud, præter omnem Symbolorum naturam: vel ut Africam à *Cæsare* Regis *Jubæ* Triumphatore domitam signet, ut quæ

Horrendos angues halitataque membra venenis,
Et vastos Elephantes habet. (h)

Vel quòd vastum illud animal passim Regis signum est, qui ad exemplum illius genua non flectat, superiorem non agnoscens; flectat calcaneum, humanitatis suæ affectus, pedibus denotari solitos, exhibens.

OBSERV. 23.

Dictaturæ verò *Perpetuæ* index egregius extat Numus, in quo victrix spectatur *Venus* tota nuda, alterâ quidem cassidem, scutum alterâ tenens. Circum illam hinc Aquilâ in Columnâ, illinc signum militare, nimirum alia telo imposita aquila, cum inscriptione CÆSAR. DICT. PERP. Quandoquidem bellorum ille Deus, ab hâc voluptatum illecebrâ se

(h) *Manilius Astron. lib. 4.*

vinci

vinci passus est, ultrò concedens & galeam & scutum, Veneriſque dominatui ſeſe ſubmittens, non ſecùs atque *Menelaus Helenæ* conſpecto delicioſo ſinu, arma illi & ſemetipſum ceu ſervum dedititium tradidit. Innuit inſuper *Cæſar* aquilæ prioris in columnâ apparentis effigie, perpetuitatem Gloriæ ſuæ, atque alterius acquiſitam bello victoriam. Utriſque & ſublimitatem Honoris, cùm avis alta petat, & fortitudinem animi, ne tonitrubus quidem aut fulguribus perculſi, repræſentat. Conſideratis hactenus Honoribus *Cæſaris* ejuſdem Jugales ſeſe offerunt Amores.

CONNUBIA.

OBSERV. 24.

Prima *Cæſaris* nupta *Coſſutia*, priuſquam domum deduceretur, ab ipſo repudiata eſt, ex equeſtri familiâ oriunda, quam cæteroquin non adeò dedignatus eſt *Cæſar*, uti apparet è Numiſmate (*i*), quo *Cæſaris* caput cum Lituo ſive baculo augurali, & Tutulo Pontificio, ſit conſpicuum additâ Inſcriptione PARENS PATRIÆ CÆSAR: atque ex alterâ parte

(*i*) *Urſinus in familiâ Coſſutia p.m.94.*

COSSU-

COSSUTIUS MARIDIANUS A.A.A. F. F.

Eam, ut & *Corneliam Pompeiam*, *Calphurniam*, *Cleopatram* venuſtulas omnes ſingulis nummis exhibet Strada (*k*)

OBSERV. 25.

2. Altera ejus Uxor *Cornelii Cinnæ filia* fuit, è quâ *Juliam Pompeii* poſtea Conjugem tulit. Illam verò ita in deliciis habuit, ut mortuam oratione funebri laudaret. Numiſma ejus faciem oſtendit cum Epigraphâ CORNELIA CINNÆ F. C. CÆSARIS. & monimentum ejus Decora, HONORI CORNELIÆ L. CINNÆ COS. III. FILIÆ C. JULII CÆSARIS CONIUGI DIGNISSIMÆ.

OBSERV. 26.

3. Tertia *Pompeia* fuit, *Cn. Pompeii* filia, quam ob ſuſpitionem adulterii repudiavit. Venuſta ejus facies adparet in numo cujus iſta inſcriptio. POMPEIA Q. POMPEI F. C. CÆS. PON. MAX. Splendidiſſima tum ejus familia fuerat, prout è Numiſmate apparet. (*l*) In quo ex unâ parte caput probè capillatum, cum urceolo pontificio &

(*k*) *Strada in Theſauro Antiquitatum p. m. 4.* (*l*) *Fulvius Urſinus Fam. Rom. p. 219.*

lituo

lituo augurali, atque istâ Epigraphâ, MAG. PIUS. IMP. ITER. ex alterâ Amphinomus & Anapia, parentes suos humeris gestantes, in quorum medio coronatus, parti navis insistens, conspicitur: additâ inscriptione PRÆF. CLAS. ET ORÆ MARIT. Ex. S. C.

OBSERV. 27.

Quarta *Cæsari* jungebatur *Calphurnia*, eidem superstes, *Lucii Pisonis* filia, maritum amore summo prosequuta, ut mortuum etiam oratione funebri lugeret ac laudaret. Extat nummus, in quo conspicuum ejus caput cincinnatum, collumque monili gemmato decoratum, circumscripto nomine CALPHURNIA L. PISONIS F. C. CÆS. DICT. PER. Patris dignitatem exhibet alius, (*m*) quo conspicitur caput lauro redimitum, Victoriam fortè illam, quam *C. Calpurnius Piso* ex Hispaniâ de Lusitanis & Celtiberis retulit, in memoriam revocans. Ex alterâ parte Desultorius eques, cum palmâ subscriptis literis. L. PISO FRUGI.

(*m*) *Idem p.* 56.

SECTIO

SECTIO TERTIA

Complectens

C. JULII CÆSARIS

Mortem, Rogum, & Apotheosin.

HÆc ipsa *Calphurnia* ad supremum *Cæsaris* nos deducit fatum, ut quæ nocte illâ, quæ præcessit ejus cædem, insomnis videbat domûs suæ collabi fastigium maritumque se complexantem confodi, cubiculi foribus spontè apertis; & Sacellum collabi, quod erat ante *Cæsaris* domum ex Senatûs Consulto erectum. Inde ab Aruspicibus admonitum *Cæsarem*, ut Martias Idus devitaret, ne domo die illâ exiret summoperè rogavit (*n*).

OBSERV. 28.

Ad verba Cæsaris *de suomet Fato, à* Dione *repetita.* Μή με τὸς ὑμῶν ἀποκτείνῃ——

Atque ut prima quæ scripsimus de Ortu, hisce postremis de morte, suo respondeant

(n) *Suetonius, Livius, Plutarchus, Velleius Paterculus.*

loco.

loco. Felix utique *Cæſari* fuit omen *Laurea flagrans* (o).

At cum pridie Idus Martias referente Tranquillo, avem Regaliolum cum laureo ramulo *Pompeianæ Curiæ* ſeſe inferentem, volucres varii generis ex proximo nemore proſecutæ ibidem diſcerpſerunt, Lauruſque apparebat divulſa, ſequentis exitii fineſtum habebatur omen.

Sic Laurus ingens ſubitò collapſa portendere *Alexandri Severi* mortem credebatur. Contrà non temerè boni præſagii erant *Lauri* folia, quæ circa *Pompeii* faſces illigata erant, cùm longò itinere per arida & inculta loca exaruiſſent (eo tempore quo in vico quodam Galatiæ cum *Lucullo* in Colloquium deſcendit) detracta, & à *Lucullianis* recentia liberaliter ſuffecta, gloriam militarem à *Lucullo* ad *Pompeium* tranſituram denotaſſe putabatur, referente *Pierio*(p). Alia Prognoſtica Cæſarianæ cædis *Dio* Commemorat (q).

OBSERV. 29.

Cædem ipſam hiſce exprimit; Πεφύλ-

(o) *Obſervatione* 14. (p) *Pierius lib.* 50. *p. m.* 637. (q) *Dio lib.* 44. *p.* 248.

θέ τις αὐτῷ, ὡς καὶ χάριν τινὰ γινώσκων, καὶ τὸ ἱμάτιον αὐτοῦ ἀπὸ τοῦ ὤμου καθείλκυσε, σημεῖόν τι τοῦτο κατὰ τὸ συγκείμενον τοῖς συνωμόταις αἴρων κᾶν τοῦτο προσπεσόντες αὐτῷ ἐκεῖνοι πολλαχόθεν ἅμα, κατέτρωσαν αὐτὸν, ὥσθ' ὑπὸ τοῦ πλήθους αὐτῶν μήτ' εἰπεῖν, μήτε πράξαι τι τὸν Καίσαρα δυνηθῆναι, ἀλλὰ συγκαλυψάμενον σφαγῆναι πολλοῖς τραύμασι. Quidam gratiarum agendarum causa accedens togam *Cæsari* ab humero detraxit: (id enim signum convenerat inter conjuratos ut daretur) cæteri undique impetu facto, ita vulnerarant eum — ut præ ipsorum multitudine, nec dicere nec agere quidquam posset *Cæsar*, sed obvolutus multis vulneribus jugularetur.

OBSERV. 30.

Primus verò aggressor ab utroque humero togam apprehendens, cujus nomen *Dion* reticet, *Atilius Cimber* fuit, quem alii *Tullium*, *Tillium* aut *Annium Cimbrum* nominant. *Atilius Cimber* ille primùm *Cæsaris* partes secutus, post ejusdem infensissimus hostis, cum aliis conspiratione factâ, primas in se partes susceperat: sequebatur is Cæsarem in Senatum procedentem, continuoque eidem collocutus impediit ne literas inspiceret, ipsi exhibitas inter eundum;

dum : quibus nomina conjuratorum erant consignata, quas & ipsas in Senatu sedens, dum à percussoribus peteretur, in manibus tenuit, suoque sanguine adsperſit : quo de facinore *Manilius* (r).

——*Toto spectante Senatu,*
Indicium dextrâ retinens, nomenq; cruore
Delevit proprio, possent ut vincere fata.

Instabat porrò *Atilius*, & quasi rogaturus aliquid propiùs accessit, renuentique & gestu in aliud tempus differenti, ab utroque humero togam apprehendit. Inde à *Cascâ*, *Cassio Brutoque* XXIII. Vulneribus Confossus. Numisma præsentat Cimbri faciem, barbamque pilosam, ætatis adultæ, vultum rusticanum in pugionem conversum : ex alterâ parte vitta adparet ceu libertatis acquisitæ nota, & Mercurialia signa, nimirum alæ, quibus agendi celeritas, serpentes quibus prudentia, & baculus quo fortitudo designatur, sive Caduceus, qualis affingitur *Mercurio*, quo animas ex inferis reducit vitæque restituit, pristinâ cum inscriptione *ATILIUS C IMBER.*

(r) *Manilius lib. 4.*

OBSERV. 31.

Cimbri hujusce in patrando scelere socius erat *Cassius*, is ipse qui postea (milites *Bruti* procul conspectos, eosque hostes opinatus,) Pindaro liberto semet interficiendum præbuit, ita Historicus ille noster *Cassius*, Ὑπώπτευσέ τε αὐτὸς πορρώθεν ὁρῶν πολεμίους εἶναι, καὶ Πινδάρῳ τινὶ ἐλευθέρῳ ἀνακτεῖναι ἑαυτὸν προσέταξε.

Cassii hujus Numismata, inter quæ illud splendidum OB CIVIS SERVATOS. in Familiis Romanis *F. Ursini* conspiciuntur, quas antiquitatis Nomismaticæ Interpres celeberrimus *Carolus Patinus* meus ante xxx. annos solertissimus Acroates Græcus, ingeniosè illustratas, cum insigni augmento edidit; Quin brevitatis studio lectorem ad opus illud (*s*) remitto, nummis octo elegantissimis hæc ipsa illustrans.

OBSERV. 32.

Haud exiguus verò numerus fuit eorum, qui in necem *Cæsaris* conspirabant, de quibus *Dion* (*t*). *Ego autem cur cæterorum nominibus recensendis molestus esse*

(s) *F. Ursini Fam. Rom. editionis Parisiensis, pag.* 69.
(t) *Dion lib.* 44. *p.* 247.

debe-

debeam non video : Trebonium tamen ac D. Brutum *quem Junium quoque & Albinum vocaverunt , silentio præterire non possum.*

OBSERV. 33.

De quo posteriori hoc memoriæ prodidit Scriptor Græcus (u) Ἤδη τε τινὲς καὶ ἐκεῖνο εἶπον, ὅτι πρὸς τὸν Βροῦτον τὸν ἰσχυρῶς κατάξαντα ἔφη. ΚΑΙ ΣΥ ΤΕΚΝΟΝ. *Quanquam non desint , qui* Bruto *violentam plagam inferenti dixisse ferant. Tune etiam Fili !* Verùm idem hic ipsus sceleris sui vindictam sensit.

Ὁ οὖν Βροῦτος οὐδεμίαν ἐπ' ἐλπίδα ἔσχεν, ἀλλ' ἀνοσίνης μὲν τὴν σωτηρίαν ἀπαξιώσας καὶ τὴν ἅλωσιν, ἐς τὸν θάνατον καὶ αὐτὸς κατέφυγε, καὶ ἀναβοήσας τοῦτο καὶ Ἡρακλείου.

Ὦ τλῆμον ἀρετὴ, λόγος ἄρ' ἦσθ' ἐγὼ δέ σε
Ὡς ἔργον ἤσκουν. σὺ δ' ἄρ' ἐδούλευες τύχῃ.

Παρεκάλεσε τίνα τῶν συνόντων, ἵνα αὐτὸν ἀποκτείνῃ. *Brutus salute desperatâ, vivum se in hostium pervenire potestatem indignum judicans, ipse etiam ad mortem confugit. Altâque voce recitato* Herculis *isto dicto.*

O misera virtus nomen inane, te quidem
Ceu rem colebam, at serva tu Fortunæ eras.

suorum quendam sibi manus inferri jussit.

(u) Dion lib. 44. p. 249.

commemorante *Dione* (x) qui & Numisma *Bruti* describit. Βροῦτος μὲν ταῦτά τε ἔπραξε, καὶ ἐς τὰ Νομίσματα ἃ ἐκόπτετο, εἰκόνα τε αὐτοῦ καὶ πίλιον ξιφίδιά τε δύο ἐνετόπου. *Hæc* Brutus *egit, qui etiam Numismati quod faciebat, imaginem suam, cum pileo ac duobus pugionibus incidit.*

Hic quidem exitus fuit magni illius *Cæsaris*, cujus Manes persecuti sunt furibundos Parricidas.

ROGUS. ARA. MONUMENTUM.

OBSERV. 34.

Perpetratâ cæde gaudebat primùm Populus, à dominatione, ut sibi videbatur nimiâ liberatus. (y) Nec defuerunt qui ejus cadaver inhumatum projicere in animo haberent.

Percussores otioso animo, nulli præterea rei intenti, libertatis restitutores, & tyrannicidæ cognominabantur. Cæterùm post recitato *Cæsaris* testamento, cùm populus cognovisset Octavium à *Cæsare* adoptatum, Antonium verò & *Brutum*, Octavii tutores, bonorumque *Cæsaris* hæredes, si ad Octavium ea non pervenissent, institutos, itemque aliis alia,

(x) *Dion lib.* 47. *sub finem.* (y) *Idem lib.* 44. *p.* 257.

populo

populo autem hortos ad Tiberim, ac viritim Centenos vicenos sestertios legatos, animi eorum commoti sunt. Eosque Antonius vehementiùs irritavit, Corpore in forum illato, propôsitoque sicut erat à cæde sanguinolentum. Antonio insuper perorante, populus ita exarsit, ut Percussores *Cæsaris* quæsitum iret, senatoresque etiam incusaret, quòd passi essent, Eum Virum interfici, pro quo uti quotannis publicè Vota conciperentur decrevissent, per cujus valetudinem fortunamque jurassent, quem ipsum inviolabilem esse jussissent.

OBSERV. 35.

Hisce peractis ROGUS excitatus est, referente eodem Cassio (z) Τότε σῶμα αὐτοῦ ἀπρόσαντες, οἱ μὲν ἐς τὸ οἴκημα ἐν ᾧ ἀπέσφακτο, οἱ δὲ εἰς· Καπιτόλιον κομίσαντε ἐβούλοντο, καὶ ἐκεῖ καῦσαι· κωλυθέντες δὲ ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν, φόβῳ τοῦ μὴ καὶ τὸ θεατρὸν, τοῦτο ναοὺς συγκαταπρησθῆναι αὐτῷ, ἐν τῇ ἀγορᾷ, ὥσπερ εἶχον, ἐπὶ πυρὰν ἐπέθηκαν. Πολλὰ δ' ἂν καὶ ὧς τῶν πέριξ οἰκοδομημάτων ἐφθάρη, εἰ μήγε στρατιῶται ἐμποδὼν ἐγένοντο, καὶ τινὰς τῶν θρασυτέρων οἱ ὕπατοι κατὰ τῶν τοῦ Καπιτολιοῦ πετρῶν ὦσαν. *Post corpus*

(z) *lib.* 44. *p.* 267.

Cæsaris *abreptum, alii in eam curiam, in quâ occisus fuerat, alii in Capitolium ferre, ut ibi comburerent intenderunt: sed à militibus prohibiti, metuentibus ne simul Theatrum quoque & Templa conflagrarent, in foro rogum extruxerunt; Eique cadaver imposuerunt. Verùm sic quoque multa vicina ædificia incendio absumta fuissent, nisi milites obstitissent, nonnullique audaciorum, jussu Consulum de rupe Tarpeiâ præcipitati fuissent.*

OBSERV. 36.

Posteaquam verò Rogus excitatus erat, populus aram extruxit, quam Consules postmodum subverterunt. De quâ *Dion* noster. Βωμὸν δὲ τινὰ ἐν τῷ τῆς πυρᾶς χωρίῳ ἱδρυσάμενοι, τὰ γὰρ αὐτοῦ οἱ ἐξελεύθεροι προανείλοντο, καὶ ἐς τὸ πρῶτον μνημεῖον κατέθοντο θύειν τε, ἐπ' αὐτῷ καὶ κατάρχεσθαι τῷ Καίσαρι, ὡς καὶ Θεῷ ἐπεχείρουν. *Aram autem plebs eo in loco, quo rogus fuerat, extruxit: (nam cremati reliquias liberti ejus sublatas, in primum Monumentum deposuerunt) Sacrificareque apud eam & libare* Cæsari *tanquam Deo instituit.*

APOTHEOSIS.

OBSERV. 37.

Mirum utique illud, *Cæsarem* tùm cùm in

in vivis esset divinis honoribus fuisse affectum testante Cassio (a) Καὶ τότε μὲν ἀνδριάντα αὐτοῦ ἐλεφάντινον, ὕστερον δὲ καὶ ἅρμα ὅλον ἐν ταῖς ἱπποδρομίαις μετὰ τῶν θείων ἀγαλμάτων πέμπεσθαι ἔγνωσαν, ἄλλην τε τινὰ εἰκόνα ἐς τὸν τοῦ Κυρίνου ναὸν ΘΕΩΙ ΑΝΙΚΗΤΩΙ ἐπιγράψαντες. *Statuam quoque tum eburneam Cæsaris, ac post thensam in Circensibus pompis cum Deorum simulacris vehi jusserunt; aliamque imaginem cum inscriptione DEO INVICTO, in fano Quirini posuerunt.*

OBSERV. 38.

Cæterùm post mortem inter Deos ab Octavio filio suo adoptivo, populoque Romano ceremoniis solennibus relatus est, cujus superstitionem confirmare visus Cometes. De quo legimus. Ἐπεὶ μέν τοι ἄστρον τὶ παραπάσας τὰς ἡμέρας ἐκείνας ἐκ τῆς ἄρκτου πρὸς ἑσπέραν ἀνεφάνη, καὶ αὐτῷ Κομητην τὴν τινῶν καλούντων καὶ προσημαίνειν οἷά που εἴωθε λεγόντων, οἱ πολλοὶ τοῦτο μὲν ἐπίστευον. Τῷ δὲ δὴ Καίσαρι αὐτὸ ὡς καὶ ἀπαθανατισμένῳ καὶ ἐς τὸν τῶν ἄστρων ἀριθμὸν συγκατειλεγμένῳ, ἀνετίθεσαν. Θαρσήσας, χαλκοῦν αὐτὸν ἐς τὸ Ἀφρδίσιον, ἀστέρα ὑπὲρ τῆς Κεφαλῆς ἔχοντα, ἔστησεν.

(a) *Cassius lib.* 43. *p.* 236.

Cæterùm stella quædam quotidie ex septentrione versus occasum apparuit, eamque Cometen vocantes nonnulli, ea portendere dicebant, quæ aliàs hujusmodi signum sequi consuevissent. Creditum quidem hoc a plebe, sed tamen Cæsari eam immortalitatem minirum jam adepto, inque syderum numero allecto, sacram esse dixerunt. Eâ re Cæsar animo jam confirmato, statuam Patris æream, cum stellâ supra caput in Veneris templo posuit.

OBSERV. 39.

Ægyptiorum Persarumque Reges à morte in Deorum numerum relatos fuisse passim Historici recensent. Atque exprobrant id ipsum Gentilibus Patres omnes, quos inter *Lactantius* (b) *Tertullianus*, (c) passimque *Arnobius*. Verùm nullos tanto dignabantur honore, nisi quos optimè de regno meritos populus judicabat, aliis enim, qui crudeliùs superbiùsque regnassent, quandoque ne funeris quidem officia præstiterunt. Adeò ut *Cæsarem* à populo, cujus libertatem everterat, in divinitatis solium sublatum fuisse, summopere sit mirandum.

(b) *Lactantius lib. 1, c. 15.* (c) *Tertullianus Apol. c 24.*

OBSERV.

OBSERV. 40.

Ejus honori dicabat Roma Templum, ad formam Fani *Veneris* Genitricis extructum. Sparta aliæque Reſpublicæ atque Regna præſtabant idem, animo ſanè non in fortitudinem erecto, ſed adulationem deflexo. *Pompeius*, quem ex amico ſoceroque *Cæſar* hoſtem capitalem fecerat, vivus orbe toto, ſummiſque honoribus à ſenatu, civibus, Sociis Regibus ac Rebuſp. per monumenta fuerat affectus.

At *Cæſar* ab iiſdem, dum in vivis eſſet, alter Catilina habitus, ſolâ militari manu & Fortunâ ſuſtentatus, poſt crudele fatum ceu numen colebatur, cùm *Pompeius* neglectiſſimus jaceret.

OBSERV. 41.

Cæſaris equidem Effigies Numiſmate ſic exprimebatur, ut Aſtrum propè frontem emineret, adjunctis verbis DIVO IULIO: altera verò nummi pars oſtentabat Martem galeatum, armatum telo, inſiſtentem aræ. Ex adverſo ſellæ inſidentem exhibebat feminam, dextrâ Copiæ Cornu, ſiniſtrâ genium alatum, qui *Martis*

coronam præbet, geſtantem. Illud aſtrum ipſam demonſtrat Apotheoſin, quæ ita populo perſuaſa fuit, ut firmiter omninò crederetur.

OBSERV. 42.

Intererat etiam Auguſti, ejuſcemodi opinionem latè divulgari, hominumque animis inſeri, quò ejus Succeſſorumque Majeſtas firmior eſſet, multumque Momenti attulit Cometa, poſt mortem *Cæſaris* ex ſeptentrione emicans, illo enim demortuo animam divinam factam ſibi penitùs perſuadebant: De quo Bæbius Macer. " Circa horam octavam " ſtella ampliſſima quaſi lemniſcatis co- " ronata orta eſt, quam quidam ad il- " luſtrandam gloriam *Cæſaris Juvenis* per- " tinere exiſtimabant. Ipſe animam Pa- " tris ſui eſſe voluit, eique in Capito- " lio ſtatuam, cujus capiti aurea ſtella " impoſita, locavit. Inſcriptum baſi fuit " ΚΑΙΣΑΡΙ ΗΜΙΘΕΩΙ.

OBSERV. 43.

At verò ut Cometæ non præterita ſed futura, cum primis ingentes in ſacris ac civilibus rebus orituras mutationes prænotant, ita crinitum illud aſtrum mu-

tationem

tationem Imperii, & in illâ horrendorum bellorum Illuviones orbem universum inundantes, cumprimis sacrorum Ethnicorum pariter & Judæorum imminentem abolitionem, Religionisque Christianæ saluberrimam introductionem præmonstrasse, comprobante id eventu censendum. Imo Regium in Imperio statum, Regisque Regum in Ecclesiâ ortum præfiguravit. Scilicet (d)

Apparere solent regalia Fata, Cometæ.

OBSERV. 44.

Ut ut autem denotaverit hæc insolitum illud crinitum Astrum; visum tamen est inservire omninò *Cæsaris* exaltationi, quam eousque ætas ista evexit, ut omnis ille mortalitatis exuviis in hâc terrâ relictis, DIVUS per universum Romanorum orbem haberetur. Sic Manilius. (e)

Ille etiam Cælo genitus, cæloque receptus.

Et Vitruvius, *Julius Cæsar concilio cœlestium in sedibus immortalitatis dedicatus est.* Itemque Epigrammatographus (e).

(d) Palingenius in Aquario (e) Ambol. Epigr. l. 5 ep. 17 p. m. 699.

Κᾶσαι

Καῖσαρ δ' ἰσχὺς ἔλαμπεν Ἰούλιος, ὃς πότε Ῥώμῃ
Ἀντεβίων ἔστεφεν ἀμείρετοισι βοείαις
Αἰγίδα μὲν βλοσυρῶπιν ἐπόμαδον ἦεν ἀείρων,
Δεξιτερῇ δ' αἰχμὴν ἀγλαΐαλτο χερὶ κομίζων.
Οἷα Ζεὺς πὶς ἄλλος ἐν Αὐσονίοισιν ἀκούων.

Cæsar verò propè lucebat Julius, qui olim Ro-
Hostium coronabat immensis clypeis. (mam
Ægidem quidem terribilem aspectu in humeris ibat tollens,
Dextrâ verò fulmen ornabat manu ferens,
Ut Jupiter novus alius in Ausoniis audiens.

Certè novus iste Jupiter non adeò beneficus fuit suis,

Dum dirus quatit in terras jacula aspra Cometes,
Indicit miseris fatalia civibus arma.

OBSERV. 45.

Quod si Nummum respicere lubeat, Mars in illo apparebit qui Cæsarem designat, licet non hastâ Martiâ, sed jaculo armatus, quod gestare solebat Cæsar; eo armorum genere Pharsalicam olim obtinens

obtinens victoriam, sic sub effigie Martis in templo Quirini conspiciebatur idem, cum inscriptione ΘΕΩ: ΑΝΙΚΗΤΩ: DEO INVICTO. Genius tandem alatus victoriam, Dea illam portans Venerem Victricem, aut Romam victoriosam designat.

Atque hæc juxta *Dionis Cassii* ductum Historicum, è Cimeliis Nomismaticis depromta impræsentiarum sufficiant, VIRTUTIBUS CÆSARIS EARUMQUE SIMULACRIS peculiari Dissertationi reservatis.

COROLLA-

COROLLARIA
DIONIS CASSII
Verbis expressa.

1. Fieri non potest ut Democratia, si ad summum fastigium evecta fuerit, intra moderationis fines contineatur. Extincto itaque populi principatu, Regia potestas vires assumit.

Verba sunt *Dionis*, cùm agit de reductâ inter Romanos potestate Regiâ sub nomine *Cæsareo, lib.* 47. *p. m.* 351. Οὐ γάρ ἔτι ὅπως Δημοκρατία, &c.

2. Apum agmen in castris agglomeratum, ostentum infelix *Dioni* visum est. Dum inter alia mox vincendi perituique *Cassii*, sequiora omina, etiam illud recenset. Ἐν ᾧ δὴ τῇ Μακεδονίᾳ—— Atqui apes pacem denotant? ego ne omnino discedam à Sententiâ de Portentis, quæ firmatur omnium ferè Historicorum calculo; denotare illa commutationem censuerim publicam, sed quæ aliis commoda

moda ſimùlque aliis nociva ſit futura.

3. Inter ſigna militaria Romanorum, potiſſimum ſemper Aquila fuit, quæ movente Exercitu ſola tandem in aciem portari cæperat.

Quod patet ex ejus deſcriptione quam inſignem exhibet *Dion*, ὁ γὰρ Ἀετὸς ὀνομασμένος. —Aquila exigua quædam eſt ſacelli effigies, inque eâ Aquila aurea eſt collocata, erigitur autem in omnibus per delectum conſcriptis legionibus, neque priùs hybernaculis effertur, quàm univerſus Exercitus egrediatur. Eam Aquilam haſtæ ſublimi impoſitam, unus quidam vir portat, cujus haſtæ pars infima in acutam cuſpidem deſinit, ut in ſolum defigi poſſit. *Hiſt. Rom. lib.* 40. *p.* 128. Quod ipſum paſſim Romani demonſtrant nummi.

4. Quæ hominibus præter expectationem accidunt, ea & animos eorum dejiciunt, & rationem conturbant, ut ad ferendam de eo, quod agendum ſit, ſententiam minimè omnium valeant. Neque enim conſiliis juxta metum locus eſt.

Sic *Dion lib.* 42. *p.* 185. Indigitans, terrorem cauſam fugati Pompeii fuiſſe propè

pè unicam : cæterò quin omnia facilè recuperaturum fuiſſe. Videatur Poliænus ſcriptor Græcus de Stratagematibus, inter quæ refert victorias per incuſſum terrorem Panicum obtentas.

5. Populares animos facilè in odia rapit atque ſimultates diverſus colendi Numinis modus, quin etiam ad cædes inflammat atque bella. Quod *Dion* in Ægyptiis oſtendit, dum ait, καὶ πολύμυς — Quia non una ipſis eſt Religio univerſis, ſed inter ſe diverſiſſimi cultûs, bellis quoque ejus rei causâ mutuis ſe impetunt, *l.* 42. *p.* 200.

6. Monarchici ſtatûs præſtantia & duratio longæva ; Democratici forma ex adverſo incommoda, mutationi perpetuæ obnoxia brevisque, utriùſq; differentiam notant. Id quod demonſtrat Romanorum exemplo *Dion*, omnia tandem rotundâ hâc periodo complexus, *lib.* 44. *p.* 241. Τὰ τε γὰρ ἀμείνω πολὺ, μείζω καὶ πλείω — *q. d.* Nam & proſperitates longè majores frequentioreſque tàm ipſis urbibus quam privatis hominibus obtigere ſemper à Regibus, quàm à populari ſtatu, & adverſa minùs in Dominatûs unius, quàm in plebea

bea cadunt Imperia. Quippe ſi quà etiam popularis aliquando floruit Reſpublica, ſaltem exiguum ad tempus viguit: quamdiu nec amplitudo nec vires eis aderant, ut vel ex ſecundis rebus injuria vel invidia in ipſis exiſteret. Judicium ſanè ſcriptoris antiqui exactum & prudens, quod & rerum mundanarum ſtatui convenit moderno.

LECTORI
PHILOLOGO S.

TRia ſunt quæ loco appendicis ſubmonenda duco. Primum de voce Nomiſmatis ac Nummi, ſimulque pronunciationis Anglicanæ peculari literarum quarundam ſono, populis aliis inſueto, qui ex Nomiſmatibus antiquis adſeritur.

Alterum de Hieroglyphicis, quorum ſubinde mentio facta.

Tertium de nomine Comitis Palatini, quod in frontiſpicio Diſſertationis apparet.

PRI-

PRIMUM.

Pronunciationem Scriptionis esse Principium atque regulam, juxta quam illa formari debet, extra controversiam esse videtur: at cùm variatio pronunciationis sit milleformis, neque ullus populus, vix ejusdem populi Civitates, in unam consentiant; ipsæque voces Romanæ diversos à singulis nationibus obtineant linguæ orisque flexus, indeque vocalium sonos, orthophoniæ Latinæ demonstratio, vel ab Originatione est, vel Monetâ, Monimentisque antiquis arcessenda.

Sic Vox Nomisma cum sit Græca in ~~in~~ apice vocalem quartam non quintam obtinet. Nummus autem in ipsis Numis quibus inscriptus, quî pronunciari debet manifestum reddit: licet enim à νόμος itidem deducatur, sic tamen proferendus est uti in Nomismatibus antiquis ad paret: Verborum enim sonus ut Numorum valet. *Adeo autem nos degeneravimus*, censente Julio Scaligero de causis Linguæ Latinæ, *lib.* 1. *c.* 8.

à

à priſcâ pronunciandi ratione, ut vix extent ipſo in uſu veſtigia.

Cæterùm Anglica ſermonis Latini pronunciatio diverſiſſima eſt ab aliâ nationum quarumvis, ſicut & hæ ipſæ inter ſe proloquio differunt.

Hujuſce ratio non minùs á regulâ duplici, Originis nimirum primævæ, Deinde antiquitate Nummorum peti debet.

Omnium primos & præcipuos, qui Eruditionem atque literas in Angliam tulerunt, Græcos fuiſſe ex Annalibus conſtat, & his nil familiarius fuit cumprimis Ionibus pro Ἄλφα uti πῆ Ἦτα.

Neque pronunciationis Anglicanæ obtrectatores demonſtrare poterunt, priſcos illos Romanos inſulam ingreſſos ſimplex A. patulo balantique Ore produxiſſe, quòd ſi latum ejus ſonum edebant, geminum ſcribere ſolebant A A. juxta illud Quintiliani, *Vocalem producendam Romanos olim geminaſſe.* Monogrammum igitur non diducebat atque dilatabat os, ſed elegantiuſculè conſtringebat, ut inter AA & EE intermedius audiretur ſonus, prout hodieque ab Anglis pronunciatur. Quòd ſi verò A. faucibus ple-

nis & apertis proferendum erat, tùm geminabant illud, uti apparet in numis quibus VAALA & VAARUS legitur. Adde quòd cùm recentiores verbi gratiâ Dicam, Faciam, Fiam ſcribunt, *priſcos locutos eſſe conſtet Fiem: & præſto eſt Catonis authoritas, qui ita pronunciavit & ſcriptum reliquit. Sicut & illa Dicem, Faciem.* Prout agnoſcit Scaliger de cauſis *L. L. lib. c.* 43.

Sic Anglos in ſuâ Inſulâ propè inacceſsâ populis aliis Pronunciationem Latinam à Romanis olim illatam, (præ nationibus aliis, quæ à Gothis Vandaliſque exoticæ linguæ aſſuetudine ſermonis Latini propriique, flexus ſonoſque corrumpebant) ad noſtra uſque tempora conſervaſſe, veritati proximè accedit: (ſiquidem ipſa quoque Italia Orthophoniam priſtinam ipſumque tandem linguæ ſuæ uſum amiſerit.) Patet hoc idem in Germanico idiomate, cujus antiquam pronunciationem linguamque Teutonicam priſcam, non apud Saxones variis mutationibus ſemper obnoxios, verùm Helvetios indomitos ſuiſque montibus finibuſque incluſos reperias.

Quare non eſt ut Exteri pronunciationem

onem Britannorum reprehendant, quin ſuam priùs emendent, ad inſcriptiones anteiquas, qualis illa in L. Vinici nummo Concordiæ coronatæ junctæ, CONCORDIAI. Quæ nos edocet longè alium fuiſſe ſonum Dipthongi AE. quam ſit vulgaris non abſimilis ſimplici E. Cùm & apud Ennium *Silvai* legamus, & apud Maronem *Aulai*, in tabulis verò Colotianis *Bonai Deai*. Ut non ſatis mirari queam eorum inſolentiam, qui corrigere præſumunt Enunciationem ab Anglis per tot ſecula priſcæ illi ſimilem jugiter obſervatam.

Verùm ut revertar ad longam illam literam, cujus ſonum heic conſuetum, perperàm exibilant eis inaſſuetum. De illo ſic cenſet idem Criticus *cap.* 8 *libri primi. Habuit I Vocalis ſonos tres, ſonum exilem, alterum latiorem propioremque ipſi* E, *& tertium obſcurum ipſius* V. Tandem concludit, *Nec defuere qui Græcam* [Dipthongum] *invecherent in Latinos, quoniam veteres ſic enunciabant Terrai frugiferai. Item alteram* EI. *iis in vocibus, quæ utriuſvis ſono tum* E *tum* I, *ederentur ut Treis, Parteis.* Idem ille *cap.* 43. notat; *Quæ*

ad hunc modum exeunt (Illius , Iſtius , Utrius , Unius) non ita olim pronunciabantur. Nam conſonans in multis , non vocalis reperietur, cujus, ejus. Sic erat Ille, illejus : ſic quaſi Diphthongus græca remanſit ac longa fuit — quomodo fuit Uterejus, ſic Alterejus.

Dilucidiùs hæc omnia è Nomiſmatibus patent, ceu literarum præſidiis, & genuinæ pronunciationis certiſſimis indicinis.

Auguſtinus Archiepiſcopus Tarraconenſis eruendis priſcorum monimentis ſolertiſſimus, Antiquitatum Romanarum Dialogo primo ita inſit. *Scribendi ratio, quam Orthographiam literatores appellant, muſquam certiùs quàm ex nummis petitur.* Eadem Orthophoniæ ratio. Nunc priſci quandoque literâ I. ſolitariâ contenti fuerunt.

Qui vero æri flando aut feriundo erant præfecti , in ſuis nomiſmatibus, & ſtatuarii in monumentis pronunciationem publicitùs uſitatam ſecuti , illud I per EI expreſſerunt. Uti pateſcit è ſequentibus. In numo Nervæ modius cum ſpicis fuſus eſt, ad deſignandam extraordinariam Largitionem Cæſaris Urbi factam , cum Inſcriptione PLEBEI URBANÆ

BANÆ FRUMENTO CONSTITUTO. Quas porrò Idus, ſcribimus exprimebant eo ſono quo pronunciabant EIDUS. Ita Bruti pugionibus inter quos Medius pileus, ſubſcriptum EID. MAR. atque in alio ejuſdem nummo Caput femineum, comâ in ſpiram collectâ, cum cirris, inauribus, & monili circa collum, additis literis LEIBERTAS. quæ in numo Nervæ monophthongo notatur LIBERTAS PUBLICA. ſic in illo Auguſti Pax adparet ſtolata, dextrâ caduceum, lævâ cornucopiæ gerens, adſcripto IMP. CÆSAR DIVI F. COS. VI. LIBERTATIS P.R. VINDEX. ut evidens ſit pronunciatio in priori, at verò in poſterioribus uſitata quandoque Scriptio. In Memmiæ gentis Nomiſmate Ceres facem ferens ſeſe intuendam præbet, cum Epigraphâ MEMMIUS. ÆD. CEREALIA. PREIMUS. FECIT. PREIMUS ille & MAXUMUS CONSTANTEINUS BRITANNICUS. huic pronunciationi Anglicanæ authoramentum inſigne addit.

Namque ut in aureo ejus nummo Victoria comparet ſedens, cum puerulo

 adſtante,

adſtante, tenente clypeum, additâ Inſcriptione VICTORIA CONSTANTINI AUG. VOT. xxx. ita in alio genuina Nominis Glorioſiſſimi pronunciatio exprimitur

ΑΥ. Κ. ΦΛ. ΚΩΝΣΤΑΝΤΕΙΝΟΣ

Ε.Ε. ΣΕΒ. ΗΛΑ

Verùm deſino, Benevole Lector, ad alterum divertens monitum, quod eſt

DE HIEROGLYPHICIS.

Horum quædam vetera ſunt, Ægyptiorum Græcorum & Latinorum, quibus interſperguntur illa quæ ſunt ſanctorum prophetarum & Apoſtolorum, quæ arceſſuntur è libris ſacris, atque Patrum, qualia quidem Pierius collegit & pauci alii. Quædam noſtræ Induſtriæ nova, Rerum divinarum humanarumque Scientias, Hiſtoriamque Univerſalem exprimentia. De quorum naturâ & Uſu pluribus diſſerere impræſentiarum haud opportunum videtur. Sufficiat è Documento & indice ſequenti præviam de iis notitiam percipere.

APO-

APOGRAPHUM DOCUMENTI ELECTORALIS.

NOS CAROLUS LUDOVICUS Dei gratiâ Comes Palatinus Rheni, ſacri Rom. Imperii Architheſaurarius & Elector, Dux Bavariæ, Notum facimus omnibus & ſingulis hoc diplomate, Quod Nobis Noſter dilectus ac fidelis, M. Johan. Seobaldus Fabricius in Univerſitate Noſtrâ Heidelbergenſi Profeſſor Ordinarius humillimè ſignificavit, Quòd magno labore multiſque ſumtibus perfectam Hieroglyphicam adinvenerit, eamque Facultatibus & linguis applicuerit, atque æri incidi curaverit. Quoniam verò aperiendo Collegium periclitaretur, ne alii ſimile quid in ipſius damnum tentaturi ſint, humillimè Nos rogavit, ut ei ad præcavendum tale diſcrimen, Privilegium gratioſè impertiremus, quo caveretur ne quis ſine ipſius vel ejus Hæredum ſcitu atque permiſſu, Hieroglyphicam ſcientiis & linguis applicatam, ullo modo doceret aut commonſtraret. Quare Nos reſpicientes prædicti M. Joh. Seobaldi Fabricii

humile atque honeſtum petitum, poſt prævia ab ipſo Nobis exhibita ſpecimina, in exhibitionem Privilegii petiti clementer conſenſimus. Quin Illud eidem ſcitu ac voluntate Noſtrâ, vigore hujus diplomatis largimur plenariè, caventès atque inhibentes, ne præter ipſum ulli, quicunque demum ille ſit futurus, ſive in propriâ perſonâ, ſive per alios, ſine ſcitu & permiſſu prænominati M. Joh. Seobaldi Fabricii vel ejus heredum Hieroglyphicam cujuſcunque figuræ aut ſignificationis, antehac vel poſthac inventam, vel per modum ectypi expreſſam, atque adeo ſub quocunque prætextu ſive privatim ſive publicè, totam vel ejus partem majorem minoremve, in Electoralibus Noſtris Territoriis & Ditionibus, niſi ſpecialiter id à Nobis impetraverit, docere aut tradere liceat.

Mandamus inſuper omnibus & ſingulis Noſtris Fidelibus & Subditis, cujuſcunque Statûs vel conditionis illi ſint, ſub mulctâ decem Marcarum auri puri, dimidiâ ex parte Cameræ Noſtræ, atque alterâ parte dimidiâ, prædicto privilegiato, cum reſtitutione illati damni

ni numerandarum ſeverè injungimus. Ut nemo præter M. Joh. Seobaldum Fabricium præfatum, ejuſque Hæredes, quocunque ſub prætextu id fiat, per Hieroglyphicas figuras, in Noſtris Electoralibus Territoriis & ditionibus quicquam docere auſit. Quæ omnia ut effectum conſequantur debitum, vigore hujus Privilegii omnes officio auxilioque ipſi adeſſe tenentor, ſine dolo aut fraude.

Quod ut omnibus ſinguliſque innoteſcat, hoc diplomate fieri, & ſigillo, Noſtro conſignari mandavimus

Datum 3. Auguſti. 1654.

L.S.

SEQUITUR

Sequitur Scriptorum Hieroglyphicorum

INDEX

Juxta Exemplar Typographi Academiæ Heidelbergensis

Anno MDCLXV.

Procusum.

J. SEQBALDI FRABRICII S. PALATII COMITIS, DOCT. ET PROFESS. PUBL.

THEATRUM HIEROGLYPHICUM, quo sapientia Divina atque Humana Iconibus Harmonicis fit conspicua.

Opus ab Authore *Anno* MDCXL. inventum, XXV. annorum meditatione jugi ampliatum, speciminibus privatis publicisque subinde pate factum.

factum, Illuſtrium Nobiliumque Documentis multifariàm probatum, atque novennio abhinc, Privilegio ſolenni confirmatum.

Quo ſpeciatim continetur

Idea Hieroglyphica Univerſæ Philoſophiæ, in Quinque partes diſtributæ; quarum

I. Philoſophiam Univerſalem. II. Rationalem III. Naturalem. IV. Poſologicam, V. Moralem, cujus Clavis *anno* 1654. Heidelbergæ edita, complectitur.

Idea Hiſtoriæ Univerſalis *Anno* M.DC. XL. à prædicto Authore inventa, ex cô tempore multorum fidei concredita: quæ in majorem Hiſtoriophilorum uſum, ne ulteriùs plagio maneat obnoxia, impræſens liberè magis divulganda venit.

Cujus partis primæ Clavis; *Anno* M.DC. LX. Heidelbergæ, nomine Ideæ Polyhiſtoricæ, naturam Hiſtoriæ Univerſalis, Inde Phylarcharum, Ducum, Regumque gentis Iſraëliticæ, Monarcharum Chaldæorum, Perſarum, Græcorum Synchrona exhibentis, divulgata.

Phi-

Philologus Hieroglyphicus, ſive Latium, Hellas & Oriens figuris æneis expreſſus.
Proſtant apud Authorem.

In iſto indice continentur mera, Inventionis meæ Hieroglyphica nova; ſiquidem iſtis modò deſignatis immiſcere nolui quæ præterea in lucem dedi, Symbolis licet ipſa ſint exornata.

TERTIUM attingo. Nomen nimirum Comitis Palatini, ne quà fortean illud invidiam conflet, aut ſequiorem opinionem excitet. Diſtat equidem illud immenſo intervallo à Sereniſſorum Faſtigio, non ſecùs atque Colliculus ab Atlante qui Cœlum portat. Axioma eſt quod à ſublimitate Delegantis, nimirum Solâ Majeſtate Cæſareâ, vel tempore Interregni ab Imperii Vicario, uni alterive ceu Delegato in perpetuum impertitur obtinendum. Jurium verò hujuſmodi Comitivæ Exercitium intra Imperii vires continetur, neque aliorſum ſe diffundit. Quod quidem & ſi quid aliud Benevolus Lector intelligere volet, docebit id ipſum ſubſequens

DIPLOMA.

Nos

Nos CAROLUS LODOVICUS
Dei Gratiâ Comes Palatinus ad Rhenum, S. Romani Imperii Archithesaurarius & Elector, atque in terris Rheni Suevia & Franeici Juris Provisor atque Vicarius, Dux Bavariæ.

PRofitemur publicè hoc Diplomate & notum facimus omnibus.

Quanquam juxta Sacri Romani Imperii sublimitatem atque Dignitatem, in quam Nos Deus secundum voluntatem suam divinam post mortem Romanæ Majestatis Cæsareæ Domini Ferdinandi Tertii, &c. nostri Clementissimi Domini glorioſissimæ memoriæ ~~nos~~ constituit, ~~atque~~ vigore inde promanantis hujus temporis S. Romani Imperii Procurationis, hæreditariæ Provisionis atque officii Vicariatûs; pro ut etiam juxta nativam Electoralem Gratiam & Bonitatem proclives sumus, omnium & singulorum Sacri Romani

mani Imperii ſubditorum & fidelium Honorem, Emolumentum, Incrementum bonumque promovendi & reſpiciendi. Animus tamen noſter Electoralis multo magis permovetur, Gratiam noſtram exhibendi, eorumque Nomen & Familiam in majorem honorem dignitatemque collocandi, quorum Majores atque illi ipſi ex antiquo & honorato Statu ſunt oriundi, & qui erga Sacrum Imperium atque Nos, & Noſtram Laudatiſſimam Electoralem & Principem Domum Comitum Palatinorum ad Rhenum atque Ducum Bavariæ, continuo, fideli conſtantique ſervitio, præ aliis honoratè præſtant. Quare cum Gratioſiſſime reſpeximus & conſideravimus Honeſtatem, integritatem, Eruditionem & Virtutes, quibus apud nos honoratus & doctiſſimus, Charus & fidelis *Johannes Scobaldus Fabricius* Philoſophiæ & S S. Theologiæ Doctor, atque in hâc Univerſitate noſtrâ Hiſtoriarum, ac linguæ Græcæ Profeſſor Ordinarius celebris factus eſt, & Nobis Noſtræque Laudatiſſimæ Domui Electorali fidele obſequium præſtitit, quotidiè præſtat, & in poſterum non minus ſe præſtiturum

ſtiturum obſequenter promittit, præſta-
reque poteſt atque debet. Proinde ani-
mo probè perpendenti, Conſilio atque
Scientiâ, prædictum *Johannem Seobaldum*
Fabricium in Dignitatem & Honorem
Cæſareorum Palatinorum Comitum collo-
cavimus atque ſublimavimus, & Societa-
ti aliorum Comitum Palatinorum ad ſoci-
avimus. Exaltamus honoramus adjun-
gimus ſociamus eum Societati & commu-
nitati aliorum Comitum Palatinorum; id-
que facimus Poteſtate Vicariatûs Sacri
Rom. Imperii, ſcienter vigore hujus di-
plomatis. Statuimus atque volumus ut in
poſterum præfatus *Johannes Seobaldus Fa-*
bricius omnibus & ſingulis Privilegiis,
Gratiis, Immunitatibus, Honoribus, Digni-
tatibus, Præeminentiis atque Juribus, ſicu-
ti alii Comites Palatini habent, gaudere
atque uti debeat, & poſſit, ſive de Jure,
ſive ex conſuetudine à nemine omnino
impediendus.

Præterea damus etiam eidem *Johanni*
Seobaldo Fabricio ulteriùs plenam facultа-
tem atque poteſtatem, ut in Theologiâ
Doctores vel Licentiatos, & Liberalium
Artium Magiſtros & Baccalaureos & Po-

etas

etas Laureatos creare debeat & possit, ita tamen ut in quavis Creatione Doctoris aut Licentiati ad minimum tres alios Doctores ejusdem Facultatis assumat, qui eum, quem ipse Doctorem vel Licentiatum creare volet, priùs decorè, num statu illo aut gradu dignus sit, & aptus, poscente necessitate examinent, tum eum eosve quos aptos agnoverint, & invenerint, Doctores vel Licentiatos creabit, illis etiam consueta Doctoralia Ornamenta & Cimelia Nostro ut Imperii Romani Vicarii Loco atque nomine conferat & impertiat; Qui Doctores Licentiati Magistri Baccalaurei & Poetæ à præfato *Fabricio* creati in omnibus singulisque Universitatibus docendi, legendi, disputandi, consulendi, aliaque similia exercendi & præstandi facultatem atque potestatem, omnemque Gratiam, prærogativam, atque jura habere debent atque possunt: quæ Doctores Licentiati, Magistri, Baccalaurei & Poetæ, qui in modò denominandis Universitatibus, nominatim Parisiensi, Bononiensi, Patavinâ, Perusinâ, Pisanâ, Lovaniensi, Viennensi, Heidelbergensi, Ingolstadiensi, Lipsiensi, Witten-

Wittenbergenſi & Marpurgenſi promoventur & creantur; exercent atque obtinent, quibuſque utuntur & fruuntur, nemine impediente, ſine damno nihilominus Univerſitatis noſtræ.

Præterea hiſce damus ſæpiùs nominato *J. Scobaldo Fabricio* vigore prædicti noſtri officii Vicariatûs, plenariam Facultatem ac Poteſtatem, ut loco noſtro atque Nomine, Illos quos cum duobus JurisConſultis ſufficienter examinaverit, atque aptos idoneoſque deprehenderit Notarios, ſcribas publicos & Judices creare poſſit. Ita ut publici illi Scribæ, Notarii atque Judices in Imperio Romano atq; in Electoratu Noſtro & territoriis tales agnoſcantur, atque omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, gratiis, honore, dignitate, & prærogativis gaudeant. Inſuper Officium ubique & in omnibus judicialibus aliiſq; actionibus, contractibus Teſtamentis & ultimis voluntatibus, atque in omnibus aliis rebus & negotiis eorum officium concernentibus, exercere fruique debeant ac poſſint: prout alii publici Notarii & Judices, qui à defunctâ Majeſtate Cæſareâ ſunt creati, hæc omnia habent, iiſque utuntur Jure aut Conſuetudine.

Verùm præfatus *Seobaldus Fabricius* tenetur illos Notarios, quos tempore quocunque creaverit, Noſtro, & Romani Imperii ſucceſſuri Capitis ſupremi loco, & Illius atque noſtro Nomine Conſueto Juramento adſtringere, Quoniam illis tale Juramentum propter ejuſcemodi officia præſtare convenit idque bonâ cum fide.

Prænominatus itidem J. Seobaldus Fabricius debet atque poteſt, omnes mares feminaſque juvenes aut ſenes, extra Conjugium natos, quocunque nomine indigitatos, legitimare atque natalibus legitimis reſtituere, & quod concernit eorum maculam atque labem propter non Conjugalem progeniem diſpenſare, maculam illam tollere & annihilare. Adeò ut illis qui prout ante dictum, ab Ipſo Johanne Seobaldo Fabricio natalibus legitimis reſtituti ſunt, Nativitas eorum, neque in Judicio ullo neque extra illud, nec aliâ quavis ratione ad ignominiam aut dedecus proponi; neque in ullis negotiis eádem illi gravari poſſint; ſed pro legitimè proſeminatis, atq; ad omnes Honores Dignitates & Officia, Tribus & Artificia, non ſecùs atque alii qui à Patre ac Matre juxta leges ſunt prognati, habiles acceptentur & admittantur.

Be-

Beneficiorum illi etiam & immunitatum, prærogativarum Juriumque in Officiis obeundis capaces erunt, & in Judicio ac ſenatu conſidendi,& judicandi cum aliis æquam poteſtatem habebunt. Hiſce omnibus ſinguliſq; gaudebunt,utentur, fruentur, Jure tamen tertii & cujuſcunq; ſemper ſalvo.

Similiter ſæpe nominato Johanni Seobaldo Fabricio, prius Inſigne ipſius non ſolùm Confirmavimus, verùm etiam modo ſequenti honeſtavimus, ornavimus præſtantiuſque dedimus, atque ipſi omnibuſque ejus legitimis liberis, eorumque poſteris tam maribus quàm fæminis Clypeum in omnem perpetuitatem habendum atque utendum gratioſè conceſſimus, in quo Caſſis ſit apèrta & Coronata cum gemino cornu cærulei & candidi coloris: ſupra coronam verò emineat Effigies Viri qui veſtem cæruleam indutus, ſuperiori ſaltem conſpicuus parte, tres palmas lævâ, ſolis imaginem dextrâ tenet. In ipſo autem Clypeo, qui Cærulei ſit coloris, mons adpareat candidus è quo flamma promicet, è manu cum malleo feriente elicita: Deſuper verò Solis repræſentetur orbis, Inſignia iſta radiis ſuis

illuſtrans, prout majoris notitiæ causâ Clypeus iſte depictus conſpicitur. Confirmamus largimur & permittimus Ei, atque omnibus ab eo legitimè deſcendentibus, maribus & feminis, clypeum iſtum & Cimelium in poſterum tempore perpetuo gerendi & utendi, ex poteſtate Vicariatûs Sacri Imperii quem pro præſenti obimus & ex plenitudine, atq; ſcienter vigore hujus Diplomatis. Dirigitur inſuper ad omnes & ſingulos Electores, Eccleſiaſticos & ſeculares, Prælatos, Comites, Dominos, Equites & Armigeros, Duces Bellicos, Præfectos, Prætores, Conſules Judices, Conſiliarios, Cives & Communitates noſtrum amicum petitum, clemens inſinuatio & requiſitio, atque vigore noſtri Vicariatûs ſeverum mandatum & voluntas; ut præfatum *J. Scobaldum Fabricium*, quoad Palatinam Comitivam hoc diplomate comprehenſam, atque ejus perpetuis privilegiis, pro tali agnoſcant. Sicut etiam ipſi & legitimè ab illo deſcendentibus horumque ſucceſſoribus, maribus & feminis, in modò dicto confirmato & meliorato clypeo, & porrò in omnibus præſcriptis Gratiis, Immunitatibus,

Ju-

Juribusq; Consuetudinibus & Communitatibus, prædicto modo, neque impedimento sint nec obstaculo, neque ut alius obstet, quisquam permittant ullo prorsus modo, verùm ut Illi his omnibus Jure ipso, sine obstaculo utantur fruantur, atque omnino in illis conserventur. Sub interminatione non remittendæ mulctæ, & sub pœnâ XXX marcarum auri puri, quas quivis quoties adversum egerit, dimidiam partem in sacri Imperii Cameram, atque alteram partem præfato *Johanni Seobaldo Fabricio*, suisq; legitimè descendentibus hæredibus, atque posteris, sine remissione ut numeret tenetor. Cæterum aliis similem fortassis clypeum habentibus hæc non præjudicabunt. In majorem fidem hoc Diploma sigillatum est, Nostro hujus temporis in prædictis Circulis Sacri Romani Imperii quo fungimur, Vicariatus Sigillo. Datum *Heidelbergiæ* D. XXX *Julii* Anno MDCLVII.

CAROLUS LUDOVICUS C.P.

Vid. *Georgius Sigismundus à Bozheim*
Philippus Ludovicus Hoffman.

Ad mandatum Serenissimi Domini Vicarii proprium.
Joh. Conrad Hermanni Secretarius.

PROGRAMMA PANEGYRICI ANGLICANI.

J. Seobaldus Fabricius S S. Theol. D. Et Ecclesiastes, Historiarum P. P. &c.

Lectori Candido salutem.

SAnctissimum verò illud Ecphantæ Pythagorici Symbolum Ἐν τᾷ γᾷ εὐφυέστατον μὲν ἄνθρωπος, θειότερος δὲ ὁ βασιλεὺς ἐν τᾷ κοινᾷ φύσει πλεονεκτῶν τῷ κρέσσονι. Τὸ μὲν σῶμα τοῖς λοιποῖς ὅμοιος, ὅια γεγονὼς ἐκ τᾶς αὐτᾶς ὕλας, ὑπὸ τεχνίτᾳ δὲ εἰργασμένος λώστῳ, ὥς ἐτεχνίτευσεν αὐτὸν ἀρχετύπῳ χρώμενος ἑαυτῷ. In "terrâ optimæ naturæ Homo : divinior "autem in communi naturâ Rex supere-"minens optimum. Corpore quidem simi-"lis cæteris, ut terrâ genitus, ex eádem "materiâ. Ab artifice verò fabricatus op-"timo, qui affabrè illumdem efformavit, "archetypo usus seipso. Unde Regibus belli gerendi, Jus dicendi, Cultus divini dirigendi suprema jugiter permansit potestas. Quod rotundè Diogenes Pythagoricus

goricus expreſſit in libro Περὶ βασιλείας, dum infit: "Ἔργα βασιλέως τρία, τότε στρατηγεῖν, καὶ δικαστολεῖν καὶ θεραπεύειν τὸ θεῖον. O-"pera Regis tria ſunt, *Bellum gerere, Jus di-*"*cere, & deum colere.* Prius qui inhibet *Rebellis*, Politiæ molitur everſionem: qui alterum *Injuſtus*, Privatorum efficit ruinam: qui tertium *Impius*, Eccleſiæ exitium infert. Quòd ſi qui, horrendo furore correpti quævis illorum tentent, veri Atheorum ſocii meritò habentur.

Inde à Mundi ortu agnovére hoc ipſum, vel arcano Naturæ inſtinctu, vel Ratione, atque Experientiâ, vel Dei tandem Verbo impulſi mortales omnes.

Familiarum Principibus illis primævis, per ſæcula quamplurima diurnantibus, ipſorum met gens, (ſive ſacer ſive profanus re quireret uſus,) ſollicitè parebat. E quibus oriundi Hebræi. Quorum divinitùs conſtitutis *Ducibus*, ſeu cultûs divini, ſeu Bellorum, ſeu Jurium ſuprema permanſerat directio.

Longe major *Regum* fuerat Majeſtas, unde David jam divinâ gratiâ, cádemque peculiari unctus, cum Regnum ſibi vendicare poſſet, Juris tamen Regii (quod ſubditos ſic conſtringit, ut ne iniquo

quidem Imperio resistere ausint) observantissimus : eódem se teneri conscius, sive quòd Propheta esset legis insignitè peritus, sive quòd Israelitarum quivis Jure illo communi obligatissimus censeretur ; exclamat. *Quis injectâ manu in unctum Domini insons erit?*

Quod illos Deus, hoc Ratio Gentiles docuit, unde Argivorum Regulum ἄκριτον πρύτανιν, *Rectorem* Judicio non subjectum ; & Regem Persarum εἰκόνα τοῦ πάντα σώζοντος θεοῦ, Imaginem omnia servantis Dei indigitarunt.

Cæsares crudelissimi Christianorum persecutores, adversus vim omnem, ipso Apostolorum mox scævâ manu trucidandorum, Divino muniuntur Verbo.

Ne *Dei ordinationi* obsisterent, multa Christianorum millia exquisitissimis tormentis se excruciari passi sunt, fuderuntque *preces* : necem à Principe pati quàm inferre, aut vi resistere sanctè edocti.

Et Achristiani moderni, Christos Dei non inimicè tangunt solùm, sed & parricidiali infandoque Scelere Sanguinem eorum diffundunt.

Nimirum est suprema quædam rerum omnium

omnium gubernatrix, *Virtus Dei*, adversus quam fruſtra humani furoris auſus accingitur.

Horrendum illud Perduellionis Facinus, quod Trinum Britanniæ magnæ Regnum afflixit, cæleſtis tandem cohibuit Neceſſitas.

Belluæ tandem cohibetur furor, quæ *Legem Dei*, *Leges Gentium*, *Leges Regni* conculcavit, *ſummos Regni proceres* invaſit, *Inferiorum meliores* ad ima miſit, potiſſimam *Nobilium Populique* partem dilaniavit.

Quæ ipſa licentioſiùs graſſata *Politiam* ſubvertit, *Domoſque*, & *Eccleſiam* introductâ hæreſium beſtiâ multicipiti, horrendis vaſtavit modis, mitiſſimam innocentiſſimamque vivi *Dei Imaginem* vivaciſſimam aggreſſa, truculenter in Orcinio Avernalis Injuſtitiæ Theatro dilaniavit.

Tandem JUSTITIÆ nunc Sol exoritur, pulſis calamitatum ſcelerumque nubibus, Orbem iſtum SERENISSIMI AC POTENTISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI, DOMINI *CAROLI* II. MAGNÆ BRITANNIÆ, FRANCIÆ ET HIBERNIÆ REGIS, DEFENSORIS FIDEI, MONARCHÆ GLORIOSISSIMI

SISIMI jubare, ſerenat, ereptam reſtituens orbi lucem.

Ad hujus nunc ortum calamitoſa noctis umbra, quæ ſtellas ſubduxerat omnes, diffugit. Fulgent iterùm majora illa Sydera, SERENISSIMA HENRICA MARIA *Regina Mater*, SERENISSIMUS JACOBUS Dux Eboracenſis, SERENISSIMUS HENRICUS Dux Glouceſtrius, Regii Fratres.

Has primæ magnitudinis Stellas longè ſplendidiſſimas, cœlo reddidit Anglicano perennis ille SOL JUSTITIÆ, nec poterat alius, ut qui ſolus diſcordantia invicem Elementa vi Amoris, quo univerſa fovet, unire poterat.

Illorum radiis nunc undiquaque diffuſis, Britanni lætantur, urbes omnes, & arces oppidaque plauſu gaudiiſque inſolitis replentur, geſtiunt cum ſummis imi, militum oratione civium jungitur triumphus.

His & Nos lætitiam addimus noſtram, litantes DEO. Exultat Palatinatus, lætitiæque perfuſa ſenſu Illuſtriſſima hæc Univerſitas publicos dat adplauſus, ex mandato SERENISSIMI PRINCIPIS

AC

AC DOMINI, DOMINI *CAROLI LUDOVICI* COMITIS PALATINI AD RHENUM *S. R. I.* ARCHITHESAURARII ATQUE ELECTORIS, DUCIS BOIARIÆ, &c. *Domini noſtri Clementiſſimi*, VOTA DEO TER OPT. MAX. ritu nuncupantur ſolenni : Ut ECCLESIAM BRITANNICAM Doctrinæ Sanctitate Orbi Chriſtiano Venerandam ſervet : UNIVERSITATES OXONIENSEM atque CANTABRIGIENSEM æternâ Sapientiæ gloriâ caput extollentes, ACADEMIAS SCOTIÆ HIBERNIÆQUE longè celeberrimas ſplendori reſtituat antiquo.

Quin reductâ MAJESTATE REGIA Regnum illud Trinum, felicitate jugi refloreſcat.

In AUGUSTUM verò POTENTISSIMI MONARCHÆ Caput, Poſteroſque, & Univerſam REGALEM Domum, perpetuâ ſeculorum ſerie beatam, nova ſubinde proſperantis Gratiæ incrementa Divinum exundet Numen.

Panegyris indicta est D. xi. *Julii*, à meridie in Jurisconsultorum Auditorio, ad quam Inclytæ universitatis Proceres, Cultores, Cives officiosè invito.

Typis *Ægidii Walterii*, Acad. Typogr. Anno. 1660.

AUTHORIS VITA

Ex Iconologiâ publicâ Professorum Academiæ Heidelbergensis descripta.

JOH. SEOBALDUS FABRICIUS Patre JOHANNE, Palatino, V. D. M. & Pædagogiarchâ Scaphusiano, Spiræ Nemetum Anno cIↃ IↃc xxii. xv. *Jan.* progenitus.

Basileæ Rauracorum Philosophici gradûs axiomate publico, ab inclyto Facultatis Senatu Anno cIↃIↃcxli. condecoratus, vario Studiorum Generi Theologico cumprimis se addixit.

Per lustratis Germaniæ Galliæ Belgiique

que nobilioribus Academiis, ab Academicæ functionis præfixâ ſibi metâ, Divino prorſus nutu ad Eccleſiaſticum, in celeberrimo Germaniæ Emporio, deductus officium; luſtrum ampliùs in eódem exegit.

Illinc pervigilis curæ dignâ miſſione impetratâ, Patriæ à Belli vulneribus recens calenti ſe omninò deſtinaſſe viſus eſt.

Sic priorem illam, diverſæ functiones aliæ in Eccleſiâ pariter & Academiâ Heidelbergenſi exceperunt.

Ad quam ipſam Anno clɔ Iɔc lii. xx. *Nov.* evocatus, *Logices ac L. Græcæ* ſuſceptâ Profeſſione ordinariâ, renaſcenti Univerſitati operam ſuam penitùs ſacratam voluit. Biennio poſt *Hiſtoriarum* inſuper conſtitutus Profeſſor. Inde

Doctoratus Theologici Gradum in reſtitutâ Academiâ primus, præſtitis iis quæ venerandæ Facultatis leges exigunt, Anno clɔ Iɔc lvii. indeptus. Sancti Academicorum ordinis religioſus Cultor.

Eodem labente Anno SERENISSIMI ELECTORIS tùm S. R. I. Vicarii Gratiâ, *Palatii Cæſarei Comitivâ* inſignitus.

Tertium facultatis Philoſophicæ Decanus

nus, & Anno cIↃ IↃc lix. UNIVERSITATIS PRO-RECTOR.

Nunc Dignitati Professionis publicæ accedens Ordinarium Ecclesiastæ Heidelbergensis ad D. Petri munus tuetur. Ex quo tempore Academicis Ecclesiasticos jungit labores.

Authoris Scripta Heidelbergensia.

E*Rudita Pietas*, sive Oratio Inauguralis ad auspicandam Professionem Heidelbergensem anno cIↃ IↃc liii habita.

Neohusium, sive de ortu & variis mutationibus Cænobii Neuhusiani Dissertatio.

Myrtilletus, sive Historia Urbis Heidelbergensis.

Manhemium Civitatis atq; Castri Manhemiani Descriptionem historicam exhibens.

Lutrea Cæsarea, sive Originis & Incrementi Urbis Lutrensis ad præsens tempus deductio.

Dis-

Disputationum Theologo-Philosophicarum inde ab anno 1653 usq; ad annum 74. in Athenæo Heidelbergensi habitarum, Volumen.

Novum D.N.I.C. Testamentum rythmicum.

Sermonum Dominicalium festivorum pœnitentialium & funebrium, ad populum Heidelbergensem ab Anno 1660 ad 74 pronunciatorum Tomi Duo.

Lessus Funebris Glorioſissimæ memoriæ FERDINANDO Quarto Romanorum Imperatori publicè dictus.

Panegyricus Cæsareus, Augustissimo LEOPOLDO Romanorum Imperatori Germaniæ, Hungariæ & Bohemiæ Regi, Archiduci Austriæ, *&c.* Solemni Coronationis Cæsareæ die consecratus.

Panegyricus Regius Augustissimo CAROLO Secundo, Magnæ Britanniæ Franciæ atq; Hiberniæ Regi, in Regnum Paternum Avitumq; glorioſissimè reduci, solenniter dictus, Mense *Junio* An. 1660.

Emblemata Danica in Nuptias Sereniſſimi Principis ac Domini CAROLI Comitis Palatini ad Rhenum, *&c.* Cum Sereniſſimâ Principe ac Dominâ WILHELMINA ERNESTINA Regni Danici Principe Regiâ. *Co-*

Corona Suecica, sive Panegyricus Sereniſſimo CAROLO GUSTAVO in Regem Sueciæ coronato dictus, An. 1655.

Selenius & Selene, sive Panegyricus nuptialis Palatino Luneburgicus, Celſiſſimi & Reverendiſſimi Principis ac Domini ERNESTI AUGUSTI Ducis Brunſwigo-Luneburgenſis, Epiſcopi Oſnaburgenſis: ac Sereniſſimæ Principis SOPHIÆ Comitis Palatinæ Electoralis, tædis jugalibus applaudens.

Scripta Anglicana.

DE *Unitate* Eccleſiæ Britannicæ Meditationes Sacræ. Oxoniæ, 1676. *ap. Ric. Davis.*

Epiſtola Irenica ad Verbi Divini Miniſtros Regnorum Angliæ, Scotiæque indigenas, ſemetipſos ab Eccleſiâ Nationali ſegregantes. Londini 1677. *ap. Jonathan. Edwin.*

Magnes Amoris Britanno-Auraicus, Celſiſſimo Principi ac Domino WILHELMO HENRICO Principi Oraniæ, Comiti Naſſoviæ, &c. Ejuſque Sponſæ Regali Celſiſſimæq; Dominæ MARIÆ, Sereniſſimi Principis ac Domini JACOBI Ducis Eboracenſis & Albaniæ, Comitis Ultoniæ, Thalaſſiarchi Angliæ & Hiberniæ, &c. FILIÆ primogenitæ; ſub Emblematum velo repræſentatus, 4. *Nov.* 1677.

C. Julius Cæſar Nomiſmaticus, *Londini* 1678. *ap. Jonathanem Edwin profians.*

FINIS.